LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

E. STRUCK

DE TERENTIO ET DONATO



Herrn Geheimrat Prof. Dr. [illegible]
ehrerbietigst überreicht
vom Verfasser.
Rostock April 1910.

DE TERENTIO ET DONATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ERDMANNUS STRUCK

MEGALOPOLITANUS.



LIPSIAE

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

MCMX.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda hac dissertatione rettulit:

J. Geffcken, P. P. O.

Examen rigorosum habitum est die XXX mens. Iulii MCMIX.

JOHANNI GEFFCKEN

SACRUM.

Conspectus.

Nunc quoque assentimur Lessingio sagacissimo Terenti fabularum existimatori, qui in Dramaturgiae act. Hamburg. (cap. 72) scribit: „*Die alten Grammatiker waren nicht das, was wir jetzt bei dem Namen denken. Es waren Leute von vieler Einsicht, das ganze weite Feld der Kritik war ihr Gebiet. Was von ihren Auslegungen klassischer Schriften auf uns gekommen, verdient daher nicht bloß wegen der Sprache studiert zu werden. Nur muß man die neueren Interpolationen zu unterscheiden wissen. Daß aber dieser* D o n a t u s *(*A e l i u s*) so vorzüglich reich an Bemerkungen ist, die unseren Geschmack bilden können, daß er die verstecktesten Schönheiten seines Autors mehr als irgend ein anderer zu enthüllen weiß: das kommt vielleicht weniger von seinen größern Gaben, als von der Beschaffenheit seines Autors selbst . . .*" Cum igitur Donati ad Terentium commentum tanti pretii sit, inde ab editione eius principe[1]) viri docti optimo iure non solum verbis edendis et emendandis maxime operam dederunt, sed etiam in eo Lessingio satisfacere studuerunt, ut, quae in hac scholiorum farragine vere Donatiana essent, demonstrare conarentur.[2]) Atque hanc quidem quaestionem 'de commenti Donatiani compositione et

---

[1]) Editiones enumerat Paulus Weßner 'Aeli Donati quod fertur commentum Terenti' vol. I. Lipsiae 1902 praef. pag. XXXIII sqq.

[2]) Ludovicus Schopen 'De Terentio et Donato eius interprete' diss. Bonnae 1821 pag. 43 sqq. H. Usener, „Vier lateinische Grammatiker". mus. Rhen. XXIII (1868) p. 493–507. Guilelmus Hahn, „Zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat zum Terenz". I. Halberstadt 1870. II. Stralsund 1872. Remigius Sabbadini, „Il commento di Donato a Terenzio" (Studi italiani di filologia classica II. 1894. 1—134). 'Gli scolii Donatiani ai due primi atti dell' Eunuco di Terenzio' (Studi it. d. f. cl. III. 1895. 249—363). Augustus Teuber 'De auctoritate commentorum in Terentium, quae sub Aeli Donati nomine circumferuntur'. progr. Eberswalde 1881. — 'Zur Kritik der Terentiusscholien des Donatus'. ann. phil. 1891 p. 353–367. Eduardus Scheidemantel, 'Quae-

origine' nuper denuo Karstenus[1]) movit, cum ea scholia, quae 'Donati' grammatici speciem prae se ferre videbantur, huic attribuit, alia cum aliis scholiastis tum 'Interpolatori praecipuo', quem aeque ac 'Donatum' cogitatione finxit, vindicavit. Cum hac ratione sane quam improbabili Karstenus scholia genuina elegerit, quis miratur eum de scholiis Donatianis ita iudicare (Mnemosyne XXXV p. 3 adn. 3): *„Nihil magis me quoque tetigit quam mira scholiorum genuinorum aequalitas, cum quod orationem tum quod iudicandi subtilitatem attinet, per omne commentum"*. At nostro iudicio ac sensu si utimur, nos desideravisse miram illam aequalitatem confitemur. Praeter enim adnotationes artem grammaticam et rhetoricam redolentes non paucae nobis occurrunt, quae ad oeconomiam fabulae et ad artem poetae scaenici spectantes et argumentum coloremque scaenae tractantes ad initia praesertim scaenarum adscribuntur ideoque a nobis 'scaenicae' sive 'aestheticae'[2]) nominantur. Atque his quidem in initiis scaenarum saepe desunt talia scholia, nec 'aequaliter' 'per omne commentum' inveniuntur. Quam rem etsi non omnes[3]) viri docti

---

stiones Euanthianae'. diss. Lipsiae 1883. J. J. Hartman, 'De Terentio et Donato commentatio'. Lugduni Batavorum 1895. Paulus Rabbow, 'De Donati commento in Terentium specimen observationum primum'. ann. phil. 1897. p. 305—342. Eduardus Smutny, 'De scholiorum Terentianorum, quae sub Donati nomine feruntur, auctoribus et fontibus quaestiones selectae'. diss. phil. Vindob. vol. VI (1898) p. 93—137. H. T. Karsten, 'De scholiis quibusdam Donati ad Terentium' i.: Feestbundel Prof. Boot, Lugduni Bat. 1901. 205—210. 'De scholiis Terentianis philosophis' i.: Album gratulatorium in hon. H. van Herwerden. Utrecht 1902. P. Weßner, 'Aemilius Asper, Ein Beitrag zur römischen Literaturgeschichte'. gymn. progr. Halle a. S. 1905. — 'Zu Aemilius Asper'. B. ph. W. 1906. 62—64. Maximilianus Dorn, 'De veteribus grammaticis artis Terentianae iudicibus'. diss. Halis Saxonum 1906. Alii aliis locis commemorabuntur.

[1]) Mnemosyne XXXV (1907) p. 1—44. 192—249. 274—324. 403—439; XXXIII (1905) p. 125—133. 229—268; XXXII (1904) p. 209—251. 288—322.

[2]) Nobis quoque hoc verbo cum utimur, observandum est quod monet Rudolfus Griesinger, „Die ästhetischen Anschauungen der alten Homer-Erklärer, dargestellt nach den Homerscholien". diss. Tübingen 1907 adn. 2 p. 19: ***„Freilich ist hierbei Vorsicht geboten, daß wir nicht mit den Ausdrücken auch die Anschauungen unserer modernen „Ästhetik" in die alten Urteile hineinlegen"***.

[3]) Cf. Ed. Smutny l. l. p. 136.

neglexerunt, tamen hunc nodum expedire conati non sunt. Itaque operae pretium fore duxi primum quaestionem instituere, quarum scaenarum in initiis teneremus scholiastam illum aestheticum, quarum desideraremus. Atque id quidem tabularum opera demonstrabo, quarum in alteram partem illa scholia, quae videntur aesthetica esse, in alteram, quae scholiastae grammatici et rhetorici, rettuli[1]). Iam inspiciamus tabulas:

Scaenarum initia Andriae.

Loc. Terenti	Adn. schol. aesthetici		schol. rhetorici	
I 1. (28)	1! 2. 6.	(3. 5)	—	(4)
I 2. (172)	[1.] 2.		—	—
I 3. (206)	1. 2.		—	(3. 4)
I 4. (228)	1. 2.		—	(3. 4)
I 5. (236)	1.		3.	(2. 4. 5. 6. 7)
II 1. (301)	1. 2.	(3)	—	(4. 5. 6)
II 2. (338)	1!	(2)	—	(3. 4)
II 3. (375)	—		1.	(2)
II 4. (404)	1!		—	(2. 3. 4. 5)
II 5. (412)	1. 2. 3.		—	(4. 5. 6)
II 6. (432)	1.	(2)	—	—
III 1. (459)	1.	(2)	—	(3. 4)
III 2. (1—9) (481)	1.		—	(2. 3)
III 3. (533)	1. 5.		—	(2. 3. 4. 6)
III 4. (580)	2.		—	(1)
III 5. (607)	1.		—	(2. 3. 4. 5)
IV 1. (625)	1.		—	(2. 3. 4. 5)
IV 2. (684)	1. 2.		—	(3. 4. 5)
IV 3. (716)	1.		—	(5. 6. 7. 2. 3. 8)
IV 3.7. (722)	1.	(2)	—	—
IV 4. (740)	1.		—	—
IV 5. (796)	1.		—	(2. 3)
V 1. (820)	1.?		2.	(3. 4)
V 2. (842)	1.	(2)	—	(3. 4. 5)
V 3. (872)	—		1.	(2. 3. 4. 5)
V 4. (904)	1.	(2)	—	(3)
V 5. (957)	1. 2. 3.		—	(4)
V 6. (965)	1. 2.		—	

[1]) Scholia aesthetica et rhetorica, quae ad unum tantum versum, non ad omnem scaenam pertinent, uncis ( ) inclusi.

Scaenarum initia Eunuchi.

Loc. Terenti	adn. schol. aesthetici	schol. rhetorici
I 1. (46)	1.	(2. 3. 4. 5. 6)
I 2. (81)	— (lacuna)	— (lacuna)
II 1. (207)	1.	—
II 2. (232)	1. 2.	— (3. 4. 5)
II 3. (292)	1 !	— (2)
III 1. (391)	1.	— (2)
III 2. (454)	1.	— (2 ?)
III 3. (507)	1.	— (2)
III 4. (539)	1. (ex quo 3)	— (2)
III 5. (549)	1.	— (2)
IV 1. (615)	1. 2.	— —
IV 2. (629)	1. 2.	— (3. 4)
IV 3. (643)	1. 2.	— (3. 4. 5. 6)
IV 4. (668)	1. (3)	— (2)
IV 5. (727)	1. (4)	— (2. 3)
IV 6. (739)	1.	— (2. 3)
IV 7. (771)	1. 4.	— (2. 3)
V 1. (817)	1.	— (2)
V 2. (840)	1.	— (2. 3)
V 3. (910)	1.	— —
V 4. 1—19 (923)	—	— (1)
V 4.21. (943)	941. 943. 2. [943. 1]	— (943. 3. 4. 5)
V 5. (971)	1. 2. 3. (4)	— —
V 6. (1002)	1. (2)	— (3)
V 7. (1025)	1. 4. (3)	— (2. 5)
V 8. (1031)	1. 2.	— —

Scaenarum initia Adelphon.

Loc. Terenti	adn. schol. aesthetici	schol. rhetorici
I 1. (26)	1. 2. 3.	— (4)
I 2. (81)	1. (2)	— —
II 1. (155)	2.	— (1)
II 2. (209)	1.	— (2)
II 3. (254)	?	I. (2. 3. 4)
II 4. (265)	1. (5. 2. 3. 4)	— —
III 1. (288)	3 } 288. 1. 2. (4)	— —
III 2. (299)	1. ? }	— (2. 3. 4)
III 3. (355)	1. cf. 356. 1.	— —
III 4. (447)	1. 2.	— —

Scaenarum initia Adelphon.

Loc. Terenti	adn. schol. aesthetici		schol. rhetorici	
III 5. (511)	2?	(1)	—	(3. 4)
IV 1. (517)	1.	(2)	—	—
IV 2. (540)	1.		—	(2. 3. 4)
IV 3. (592)	1.		—	(2)
IV 4. (610a)	610a 1.		—	(2)
IV 5. (635)		(1)	—	—
IV 6. (713)	1.	(3)	—	(2. 4)
IV 7. (719)	1. 2.	(3)	—	—
V 1. (763)	1. 2. (763)	(3)	—	(4)
V 2. (776)		(1. 3)	—	(2)
V 3. (787)	1.	(2)	—	(3)
V 4. (855)	1.	—	—	(2. 3)
V 5. (+ 6) (882)	1. (882)	(2)	—	(3. 4)
V 6. (889)		—	—	(1. 2)
V 7. (+ 8) (899)	1.	—	—	(2. 3. 4)
V 8. (924)	—	(4) [3. 1]	—	(2)
V 9. (958)	—		—	(1)

Has tabulas si perspexerimus, cognoscemus in Terentianis fabulis e Menandro quidem conversis scholiastam illum aestheticum sive scaenicum perraro[1]) desiderari. Accedit quod adnotationes 1 et 2 semper sunt aestheticae, proximae autem grammaticae. Quo ex ordine notabili iam colligi potest illas adnotationes aestheticas item tempore esse priores; nam quicumque de commentariis Terentianis bene meriti sunt, negant scholiastam aestheticum, utpote hominem perspicacem et subtilem, eundem fuisse atque grammaticum istum stolidum fatuumque. — Grammatici porro scholiastae de scaenarum argumento enarrata quod interdum desiderantur, nihil habet miri. Is enim, cum scholiasta aestheticus praesto erat, ingenium suum dormitare iussit[2]) atque hunc expilavit.

[1]) Scaenas, quarum in initiis illum non invenimus, infra in quaestionem vocabimus.

[2]) Andr. I 2. 1.; II 6. 1.; IV 4. 1.; V 6. 1. Eun. (I 2) II 1. 1.; IV 1. 1.; V 3. 1.; V 5. 1.; V 8. 1. Ad. I 2. 1.; II 4. 1.; III 1. 1.; III 3. 1.; III 4. 1.; IV 1. 1.; IV 5. 1.; IV 7. 1.

Iam satis sit id, quod ex tabulis de Donati in tres fabulas Menandreas commentariis collegimus. Nunciam videamus quemadmodum res se habeat in Terentianis fabulis ex Apollodoro conversis, id est in 'Phormione' et 'Hecyra'.[1])

Scaenarum initia Hecyrae.

Loci Terenti	adn. schol. aesthetici		adn. schol. rhetorici	
I 1. (58)	1. 2. 3.	—	—	(4. 5)
I 2. (76)	4.	(1)	2	(3)
II 1. (198)	3.	—	1 ! 2	(5. 6. 7)
II 2. (243)	—	(2)	1?	(3. 4)
II 3. (274)	1?	—	1?	(2. 3. 4)
III 1 (281—317)	—	(5)	1	(2. 3. 4. 6)
III 1. 38 (318—335)	—	(1. 2)	—	(1. 2)
III 2. (336)	—	—	1	(2)
III 3. (361)	—	—	1	(2. 3. 4)
III 4. (415)	1.	(2 + 3)	—	(4)
III 5. (451)	—	—	1 + 3	(2)
IV 1. (516)	1. 2.	—	—	(3. 4)
IV 2. (577)	—	—	1	(2. 3. 4)
IV 3. (607)	—	—	1	(2. 3. 4)
IV 4. (623)	1.	—	3	(2)
V 1. (727)	1.	—	—	(2. 3)
V 2. (767)	—	(1)	—	(2)
V 3. 1—9 (799—807)	3. 2. 1.	—	—	(4. 5)
V 3. 10. (808—849)	808. 1. ex 799. 1.	(2)	—	—
V 4. (841)	—	(1)	—	—

[1]) Iam enim pro certo habemus, quod scribit J. van Leeuwen (Menandri quatuor fabularum fragmenta. Ed. II. Lugduni Batavorum 1908 pag. 15): *non ex Menandri Disceptantibus sed ex Apollodori Carystii Hecyra Terentium suam duxisse fabulam.*

Scaenarum initia Phormionis.

Loci Terenti	adn. schol. aesthetici		adn. schol. rhetorici	
I 1. (35)	1. 2. 3.	(5)	—	(4. 6. 7. 8. 9. 10. 11)
I 2. (51)	—	(1)	—	(2. 3)
I 3. (153)	3.	(1)	2!	—
I 4. (179)	1.	—	—	(2)
II 1. (231)	2.	—	1. 3.	(2. 4. 5)
II 2. (315)	1.	(2—3)	—	(4)
II 3. (348)	—	—	1.	(2. 3.)
II 4. (441)	—	—	2.	(1)
III 1. (465)	—	—	—	(1)
III 2. (485)	—	—	1.	(2. 3)
III 3. (534)	—	—	—	—
IV 1. (567)	—	—	1.	—
IV 2. (591)	—	—	—	—
IV 3. (606)	1.	—	—	—
IV 4. (682)	—	—	—	(2)
IV 5. (713)	—	—	—	(1)
V 1. (728)	—	—	—	—
V 2. (766)	—	—	1.	—
V 3. (784)	—	—	1.	—
V 4. (820)	—	(1)	—	—
V 5. (829)	1.	—	—	—
V 6. (841)	—	—	—	(1. 2)
V 7. (884)	—	—	—	—
V 8. (894)	—	—	—	—
V 9. (990)	—	—	1.	—

En habes tabulas, quae continent scholia ad initia scaenarum Apollodori scripta. In memoriam autem revocare mihi liceat in commento fabularum, quae Menandri exemplar sequuntur, semper fere scholia, quae totam scaenam explicant, praesto esse. Ad scaenarum vero initia earum fabularum, in quibus Terentius Apollodorum sequitur, illum optimum scholiastam aestheticum desideramus.[1]) Ubi alter non verba facit,

[1]) Desunt in harum scaenarum initiis: Hec. (II 2), II 3, III 1, III 2, III 3, III 5, IV 2, IV 3 (V 1), V 2, V 4. Phorm. I 2, II 3, II 4, III 1, III 2, III 3, IV 1, IV 2, IV 4, IV 5, V 1, V 2, V 3, V 4, V 6, V 7, V 8, V 9.

occurrit alter compluribus locis Apollodori fabularum, qui item illustrare totam scaenam conatur, sed ut homo **eloquentiae praeceptis** instructus hoc modo[1]) explicat:

Hec. I 2. (76. 2) *duae [coniecturae][2]) sunt in hac scaena: an verae sint nuptiae et an verisimile sit adulescentem abstinere potuisse a virgine sibi nuptum tradita.*

Hec. II 1. (198. 1) *in hac scaena [accusatio] socrus est, quae se [coniecturaliter] defendit dicens nihil a se factum in perniciem nurus* (coniectura *cf.* Hec. 20. 3, 138. 3, 203, 254. 2, 579, 675. 1, 727. 3, 743, 8. Ph. 61, 2; signa coniecturalia Hec. 823. 2).

Hec. III 3. (361. 1) *in hac scaena [conquestio] est ad [deliberationem] descendens* (descendens cf. Hec. 97. 1, 660. 2, Ph. 57. 3 etc.), *an habeat Pamphilus an excludat uxorem, in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans amatoria magis quam maritalis est: nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum nisi adulescens furtivum conceptum uxoris et partum aliquanto lenius, quam coniugalis dolor expetit, toleravisset*[3]) (cf. Hec. 488. 2).

Hec. III 2. (336. 1) *in hac scaena quasi quaedam [deliberativa] est continens [suasionis dissuasionisque] partes, quas in subditis considerabimus.*

Cf. Ph. II 4. (441. 2) *haec [deliberativa] est, in qua advocati ⟨tres⟩ sunt, quorum unus [suadet], alter [dissuadet], tertius qui sequi alterutrum debuisset, eiusmodi sententiam dicit, ut rursum [deliberatione] opus esse videatur.*

(deliberatio cf. Hec. 480. 1 etc.).

Ph. III 2. (485. 1) *haec scaena in [petitione] est, quae saepe admittit [deliberativae locum]*

(deliberativa Hec. 753. 2, Ph. 452. 2 etc.).

---

[1]) De his scholiis rhetoricis cf. H. T. Karsten Mnem. XXXIII pag. 140—153.

[2]) Uncis inclusi eas voces, quae doctrinam rhetoricam prae se ferunt, cf. Halmi indicem ad 'Rhetores Lat. min.' Lipsiae 1863.

[3]) Hoc loco et multis aliis (cf. H. Steinmann, 'De artis poeticae veteris parte quae est *περὶ ἠθῶν*' diss. Gottingae 1907 pag. 49 adn. 1) apparet scholiastam rhetoricum non tam imperitum artis poeticae esse, ut acumen ingenii et sagacitatem omnino ei abiudicare liceat.

Hec. IV 2. (577. 1) *in hac scaena velut [qualitas negotialis] in [disputationem] venit, iustumne sit repudiari coniugem causa matris, et omnino ⟨ab eo⟩ quod fieri deceat.*

cf. Hec. IV 3. (607. 1) *in hoc colloquio reconciliatio senum est post iurgium mixta [disputatione] Pamphili de non reducenda uxore.*

Ph. I 3. (153. 2) [*comparativa qualitas*] (cf. Hec. 14, 164 etc.) *in hac scaena est inter Antiphonis vitam et Phaedriae; [genus causae demonstrativum]. [contendunt] autem, uter magis miser sit.*

Ph. II 1. (231. 1) *in hac scaena [accusatio] est et [contradictio] per [remotivam qualitatem]*

(remotiva qu. Hec. 263. 2, 266. 1, 625. 4).

Ph. II 3. (348) *in hac scaena, ut rhetoribus placet, veluti quaedam [controversia] est, quae uno tempore [ex utraque parte] tractatur, ut si quis dicat legem esse, ne de eadem re bis agatur, et item, ut orbam proximus ducat. quidam absente patre sub hoc nomine uxorem coactus erit ducere: vult illam pater adveniens eicere de matrimonio: [contradicitur]. meminisse autem debemus in omni [contentione] ea maxime dici, quae simplici patri familias et calumnioso sycophantae improbissimoque parasito congruere poetae visa sint.*

Ph. V 9. (990) *hic velut [controversia] est, in qua reus fit maritus malae tractationis. et est [status qualitas venialis]*

(venialis cf. Hec. 270. 5, 382. 2, 660. 2. Ph. 281. 4, 733, 751, 1014, 1035 etc.).

Hec. II 3. 1 (274. 1) *in hac scaena est allocutio, qua inducitur secum loquens anus, per quam [orationem] mores eius et animus mitis intellegi possit.*

Hec. III 1. (281. 1) *hic allocutio est per [conquestionem].*

(conquestio cf. supra Hec. 361. 1; praeterea cf. rhetorem Eun. 144. 2 etc.).

Praeterea *allocutio per conquestionem* invenitur:

Ph. V 3. (784) *divitis uxoris de marito licentius [conquerentis] haec [allocutio] est cum dispositione futurarum turbarum.*

His scaenis Apollodori enarratis scholiasta quamquam ostendit se fabulae contextum satis intellexisse, tamen de aliis verba

facit, unde eum scaenam breviter tantum percurrisse, non diligenter perspexisse elucet. Affero haec exempla: Don. Phorm. V 2 (766) [*queritur*] (cf. supra Hec. III. 3 'conquestio') *de se senex, quod dum avari infamiam fugit, stulti reprehensionem incidisset.* Videmus igitur scholiastam, cum tres tantum versus 766—768 legisset, haec de tota scaena adnotare. Cuius quidem scholiastae indoles qualis fuerit item docet Hec. II. 2 (243. 1): *in hac scaena moralis allocutio Phidippi est ad filiam mitissimi patris colorem ostendens*, quae verba ad tres versus 243—245 spectant. Quae autem occurrunt in Don. Hec. V. 2 (767. 1), ad tres versus Terentianos 767—769 valent. — Eandem rem in praef.[1]) Eun. III. 4 observare licet: *errorem ebrii Chremetis* sc. scaena continet; hic quoque 'Donatus' scaenae primum tantum versum 727 'Attat data hercle verba mihi sunt qs.' legit.

His autem scholiis rhetoricis ea addere liceat, quibus agitur de 'principio'. Saepe enim, cum plurima fuerint de eo praecepta oratorum, quaeritur quid sit principium (orationis), cf. Don. Hec. 29. 1. 2, 247. 3, 263. 1, 470. 1 al. Ph. 270. 1. 3, 286. 1, 937. 2. Andr. 286. 1. Eun. 144. 2 etc. Interpres rhetoricus igitur etiam de principiis scaenarum verba facit ad hos Apollodori locos:

Hec. II. 1 (198. 2) *ἐμπαθῶς ab exclamatione coepta scaena est; senex enim est difficilis et iratus* (*ἐμπαθῶς* est vocabulum scholiastarum rhetoricorum cf. Hec. 205. 1 *ἐμπαθῶς coepit.* Ad. * 301. 3 *ἐμπαθῶς σχετλιάζει*).[2])

Hec. III. 1 (281. 3) *et principium a summa totius mali.*

Hec. III. 5 (451. 1) — *facete principium interrogantis est, ita ut sciat quid sibi responsurus sit, quem interrogat: illaturus est enim argumentum per ἐπαγωγήν.*

---

[1]) Praefationes totas Donati esse proprias ambigunt viri docti.

[2]) Dolendum est quod voces Graecae in noviciis libris omnes fere desiderantur, codicibus autem antiquioribus (A. B. V[1]) in maxima commenti parte destituti sumus: cf. P. Weßner ed. vol. I p. XLIV. Permultae igitur voces sunt, quas, cum aliquid certi in codicibus non legatur, meris coniecturis virorum doctorum debemus. Eas signo asterisci * notavi; non, ut negarem coniecturam esse probabilem, sed ut demonstrarem vocem hoc loco deberi coniecturae.

Hec. IV. 2 (577. 2) — *bono ordine a purgatione sui incipit mater abitura, ne quod discedit iracundiae videatur.*

Hec. IV. 4 (623. 3) *recte, nam sic et amicos incusamus leniter incipientes et graviora inferentes ....*

Hec. 808. 2 (novae scaenae initium in codd. Don.) — *facete poeta inde incipientem facit, quod ille minime vult, dicendo 'curre'.*

Ph. II. 1 (231. 3) *non potuit vehementius incipere quam ut ipse crimen quod obicit miraretur.*

Num sit principium orationis id, quod in scaena audiatur, quaeritur:

Hec. II. 2 (243. 2) *apparet et hic multa prius patri suo Philumenam locutam esse. ergo haec responsio est, non principium.*

Hec. III. 4 (415. 2) .... *et sic aliquid iam dixisse magni ⟨in⟩ praecedenti oratione ex respondentis sermone monstratur* cf. 3 *⟨aut⟩ in scaena nascitur oratio aut in scaenam defertur.* Cf. locum Hec. V. 2 (767. 1) supra exscriptum.

Atque qua arte poeta scaenae principium capiat, scholiasta quoque, qui fabulas e Menandro conversas enarrat, nos docet:

Eun. III. 1 (391. 1) *hic sermo sic prodit, ut post scaenam incohatus esse noscatur* [1]) ....

Andr. III. 1 (459. 2) *ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scaenae apparet principium; quod enim auditur, non quod incipitur, dicunt.*

His igitur omnibus locis interpretem rhetoricis studiis imbutum esse cognoscimus. Neque tamen ex omni parte desunt ad fabulas Apollodoreas adnotata aesthetica. His autem scholiis varia tractantur, quae quidem nobis memoranda videntur, etiamsi de hac quaestione fortasse nihil novatum imus.

Initium a protaticis quae vocantur personis capiamus:

---

[1]) Optime artem poetae novae comoediae — nam ratio a Sophocle, Euripide, (Aristophane) adhibita in principiis scaenarum alia est — hi scholiastae cognoverunt, cf. Fr. Leo, „Der Monolog im Drama" 1908 (et in Abh. d. Gesellsch. d. Wiss. zu Göttingen N. F. 10. 1908 phil.-hist. Kl.) p. 43.

Ph. I. 1 (35. 1) *quod in omnibus fere comoediis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat, ut προτατικὸν πρόσωπον, i. e. personam extra argumentum, inducat; cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena ⟨a⟩ tota fabula est, res gesta narratur, discat populus textum et continentiam rerum sitque instructus ad cetera.*

Hec. I. 1 (58. 1) *novo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur, nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulae. hoc autem maluit Terentius quam aut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui* (quod repetit schol. 2).

Quos ad locos fabularum Apollodorearum adsumas scholiastam, qui ad scaenam I. 1 contaminatam Andriae adscribit:

Don. Andr. I. 1 (28. 2) *haec scaena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur, ut virtute poetae, sine officio prologi vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comoediae populus teneat et agi res magis quam narrari videantur.* (Cf. 28. 6).

De personis protaticis praeterea cf. Don. locos praef. I. 8.

Suo autem iure Ed. Scheidemantel[1]) opinatus est horum locorum originem ab Euanthio ducendam esse, apud quem ad verbum fere eadem leguntur haec (De com. III. 2):

Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini ad instar Graecorum habent, Terentius non habet. ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id est personas extra argumentum accersitas, non facile ceteri habent, quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facilius pateat argumentum.

---

[1]) Nondum disceptandi locus est, utrum Ed. Scheidemantel Usenerum quidem (mus. Rhen. XXIII p. 494) secutus an P. Wessner rectius iudicaverit. Ille enim sibi persuasit commentarium ad Terentium, quod Euanthius grammaticus conscripsisset, cum Donati commento in unum corpus a nescio quo esse conglutinatum, hic iudicat (Untersuchungen zur lateinischen Scholienliteratur, Bremerhaven 1899, p. 14 sq.) Donatum ipsum expilavisse Euanthii commentarium et tractatum de comoedia (dico capp. I—III) praemisisse.

Praeterea cum Euanthiana sententia haec ad principium scaenae a Donato apposita scholia recte comparantur:

Euanth. III. 4. . . . *quin etiam solus ausus est . . . . etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere,*[1] *quibus tamen et causa, cur bonae sint et voluptas per ipsum non defit.*	Don. Hec. I. 1. (58. 3) *animadvertendum est in hac fabula Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere, ut id exemplis fiat tritius et usu verisimile* (cf. Don. Hec. 774. 3, 840. 1, 756. 1, 776. 1). Don. Hec. V. 1 (727. 1) *rarus hic vitae color . . . . nam meretrix loquitur et senex et, quod est admirabilius, bona meretrix, mitis senex, ut intellegas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet et in actu tamen consuetudinem retineret.*
Euanth. III. 5. (*Terentius*) . . . . *morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret*	Don. Hec. III. 1 (281. 5) *nimis coturnati et tragici in hac scaena dolores essent, non comici, nisi adderet 'ex amore'*. Cf. Hec. 171. 2, 284. 4. Ph. 137. 2, 281. 1, 750. 2.

Iam pro certo habemus scholia illa aesthetica scaenas Apollodori enarrantia paucis locis inveniri, quos quidem a Donato alienos esse iam Ed. Scheidemantel censuit.[2]) Hoc igitur

[1]) Etiam Menandrum bonas meretrices finxisse illa Chrysis, quae in fabula 'Samiae' inducitur, nos docere potest.

[2]) Praeterea secundum comoediae divisionem, quae in tractatu IV. 5 invenitur: *prologum, protasin, epitasin, catastrophen . . . . catastrophe conversio rerum ad iucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum'* in principio scaenarum Apollodorearum adnotatur: Don. Phorm. I. 4 (179. 1) . . . . *usque ad*

teneamus: si quid in his fabulis adnotatur de scaena tota, hoc plerumque praecepta oratorum redolet. Haec autem scholia rhetorica semper fere in Apollodorearum scaenarum initiis occurrunt, nonnullis[1]) tantum Menandrearum.

Quibus perspectis Donatus nobis se praestat eum, qui semper studet, ut aliquid de tota scaena adnotet, sed de Menandreis tantum scaenis optimus intellegitur esse iudex. Eminet hic quidem commentator aestheticus inter scholiastas Romanos, nam pauci talia adnotaverunt. Quin etiam a Servio in commento Bucolicon de summa eclogarum scholion plurimis in initiis non additur, adscriptum autem est eis tantum locis (*inducuntur — continet*), quibus Vergilius in vestigiis Theocriti institit. Ad huius idyllia semper fere scholia interpretis Graeci de summa, *'ὑποθέσεις'* *(διαλέγονται — ὑπόκειται)* leguntur, ad Vergili carmina tum desiderantur, cum Vergilius e suo ipsius penu haurit. Quae cum ita sint, facile perspicitur, unde haec ad Vergilium adnotata 'aesthetica' deprompta sint et cur non semper inveniantur: scholiasta enim Romanus, quotiens Vergilius non sequitur Theocritum, se applicare non potuit ad Graecum.[2]) Scholiastas Graecos autem aesthetica quaedam iudicia eaque non inepta persaepe attulisse inter viros doctos hoc tempore constat. Nam abhinc tres annos H. Steinmann (l. l.) post Trendelenburgium[3]) de scholiis Graecis disseruit, cum scholiis ad poetas tragicos Graecos et Donatianis ad Terentium collatis eandem esse disciplinam doceret. Quem quidem fugit, ubi commentatores aesthetici potissimum invenirentur, idemque non perspexit hos scholiastas, ut illum aestheticum ad Terenti fabulas Menandreas, ita scholiastas aestheticos ad tragicos poetas, imprimis in scaenis ineuntibus inveniri. Itaque nostrum nunc

---

cognitionem rerum et καταστροφὴν fabulae. Hec. IV. 4 (623. 1) ..... *ultimus error est, vicinus καταστροφῇ.* Hec. V. 3 (799. 3) .... *καταστροφή populo exponitur.*

[1]) Don. Andr. I. 5. 1 (236), II. 3 (375), V. 1 (820), V. 3 (872).

[2]) In transcursu hanc quaestionem attigisse mihi sat est.

[3]) 'Grammaticorum Graecorum de arte tragica iudiciorum reliquiae' Bonnae 1867.

erit id uno exemplo proposito demonstrare.[1]) Verba quidem interpretis aesthetici vel scaenici haec sunt de 'principiis'

Sophoclis Electrae fabulae:

prologos. vss. 1—120.

schol. vs. 1. *Ἀπειρόκαλον τὸ λέγειν ὅτι ὃν τρόπον τὰ κατὰ μέρος τῆς Ἰθάκης ἡ Ἀθηνᾶ ἔδειξε τῷ Ὀδυσσεῖ, οὕτως ἔδει καὶ τὸν παιδαγωγὸν τῷ Ὀρέστῃ δεῖξαι· τῷ μὲν γὰρ ἀγνοοῦντι δείκνυσιν ὁ παιδαγωγός, τῷ δὲ ἀπιστοῦντι ἡ Ἀθηνᾶ. ἅπαντα δὲ ἡμῖν φιλοτέχνως ἐν βραχεῖ δεδήλωκεν ὁ ποιητής· τὸν τόπον τῆς σκηνῆς· τὸν τρόπον ὡς παρέλαβεν αὐτὸν παρὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ πρὸς τὸν Στρόφιον ἐξέθετο· τὸν καιρὸν ἐν ᾧ πάρεισιν εἰς τὰς Μυκήνας· τὸν συνόντα, ὅτι Πυλάδης· φησὶ γὰρ ὑποκατιὼν 'Πυλάδη, τί χρὴ δρᾶν ἐν τάχει βουλευτέον'* et 1 — *ὦ τοῦ στρατηγήσαντος: πολλάκις παρατηροῦμεν ὅτι οἱ παλαιοὶ τὰ συνεκτικὰ τῶν ὑποθέσεων ἐν ἀρχαῖς ἡμῖν δηλοῦσιν· καὶ νῦν δηλοῖ πρὸς τίνα ὁ λόγος, ὅπερ ἦν ἀναγκαῖον πρόσωπον.*

Eodem modo de prologo agitur a scholiasta Soph. O. R. vs. 1. Phil. vs. 1 aliisque locis.

vs. 86 inducitur Electra.

vs. 86: *ὀλόφυρσίς ἐστι τῆς Ἠλέκτρας ἐν ταῖς μονῳδίαις, ὅπερ σύνηθες* ('familiare' Donatus!) *τοῖς τραγικοῖς κινητικὸν τοῦ πένθους (πάθους?). τοῦτο δὲ τὸ πρόσωπον εὔνουν ἐστὶ τῷ ἀποθανόντι. ἐπεὶ δὲ ἀηθές ἐστι πρὸς τοὺς θεατὰς ἢ πρὸς ἑαυτὴν ταῦτα διαλέγεσθαι, ὡς ἀπομεμφομένη τοῖς θεοῖς ἢ μάρτυρας τῶν θρήνων καλοῦσα πρὸς τὰ στοιχεῖα ποιεῖται τὸν λόγον· καὶ οὕτως ἡμῖν δηλωθήσεται* ('demonstratur', 'ostenditur' Donatus) *ὅπως διέκειτο ἐπὶ τῷ συμβάντι κατὰ τὸν πατέρα.*

---

[1]) Mihi in manibus sunt: Sophoclis Electra ed. O. Jahn; editio tertia curata ab Adolfo Michaelis, Bonnae 1882. — Scholia in Sophoclis tragoedias vetera ed. Petrus N. Papageorgius, Lipsiae 1888. Scholia in Euripidem rec. Eduardus Schwartz, Berolini I. 1887, II. 1891.

parodos. vss. 121—250.

vs. 121. *πάροδός ἐστι χοροῦ γυναικῶν τῇ Ἠλέκτρᾳ συναχθομένων.*

vs. 126 de *ἤθει* chori: *λίαν* ('nimis' Donatus) *αἰδήμων*[1]) *ὁ χορός, ὅς ἐπὶ τὸν Αἴγισθον τρέπει τὴν αἰτίαν· καὶ γυναικῶν ἐστιν ἴδιον* ('proprium' Don. Andr. 346. 1) *τὸ μηδὲ ἐπὶ τοῖς προφανέσιν ἁμαρτήμασιν καταλέγειν ἄλλης γυναικός ..... καὶ τὸ εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν λίαν ἠθικὸν* (morale) *καὶ ἁρμόζον* ('congruum' Don. Andr. 61. 2) *γυναιξίν ....*

primum epeisodion. vss. 251—471.

vs. 253. — *τὸ σὺ νίκα πάνυ ἀναγκαίως* ('necessarium' Don. Ad. 685. 5) *ἵν' ἀφορμὴ γένηται μακρὰν ἐκτεῖναι ῥῆσιν τὴν Ἠλέκτραν, ἐν ᾗ πάντα τὰ καθ' ἑαυτὴν παραλήψεται.*

vs. 328. nova persona Chrysothemis inducitur, de qua scholiasta:

ἐπίτηδες τοῖς ἀγρίοις ἤθεσιν ἀντιπαρατάττουσι πρᾶα, καθάπερ νῦν τῇ Ἠλέκτρᾳ Χρυσόθεμιν συνέζευξεν καὶ τῇ Ἀντιγόνῃ τὴν Ἰσμήνην, ἕνεκα τοῦ διαποικίλλειν ταῖς ἀντιρρήσεσι τὰ δράματα.

stasimon primum. vss. 472—515.

Cf. schol. vs. 472: — *ὁ χορὸς ἐκ τοῦ ὀνείρου προμαντευόμενος θαρρεῖν παραινεῖ τὴν Ἠλέκτραν.*

secundum epeisodion. vss. 516—822.

schol. vs. 516: *πανταχόθεν δὲ διαφόροις ἐξαλλαγαῖς τὸν ἔλεον Ἠλέκτρας* (cf. schol. 526) *διαγράφει ὁ ποιητής.*

vs. 660 in scaenam prodit paedagogus, de quo scholiasta:

ὁ παιδαγωγὸς ἥκει πλασάμενος τὰ περὶ τοῦ θανάτου Ὀρέστου. τὸ δὲ ἦθος αὐτοῦ μέσον ἐστίν, οὔτε ἀποικτιζομένου παντάπασιν οὔτε ἡδομένου, ἀλλ' ὡς ξένου. εὐκαίρως δὲ ἥκει ἔξω οὐσῶν ἀμφοτέρων, πρῶτον ἵνα μὴ δισσολογοίη πρὸς ἀμφοτέρας ἀπαγγέλλων, δεύτερον

---

[1]) Vestigia Aristophanis Byz. deteguntur a Trendelenburgio l. l. p. 42 sqq.

πρὸς τὸ δηλωθῆναι τὴν γνώμην ἀμφοτέρων. πιθανῶς δὲ ἐρωτᾷ ὡς ἀγνοῶν.

kommos (pro stasimo secundo). vss. 823—870.

cf. schol. vs. 823 et vs. 827: *θρηνεῖ ἡ Ἠλέκτρα τὸν ἀδελφόν· ἐλεεινὸν δὲ λίαν τὸ τοιοῦτο μέρος.*

tertium epeisodion. vss. 871—1057.

vs. 871. — *ἡ Χρυσόθεμις παραγέγονεν, τὰ ὑπὸ τοῦ Ὀρέστου ἐγκείμενα τῷ τάφῳ εὑροῦσα. τοῦτο τὸ πρόσωπον εἰσήγαγεν* ('induxit' Donatus), *ἵνα μὴ εἰς μακρὸν ἡ ὀλόφυρσις Ἠλέκτρας γένηται.* Cf. schol. Soph. Ai. 201, 1316, 735 al.

stasimon tertium. vss. 1058—1097.

vs. 1058. — *οἰκεῖον δὲ τῷ χορῷ ἀγανακτοῦντι ἐπὶ τῇ Κλυταιμήστρᾳ τὸν περὶ τῶν ἀλόγων ἐνταῦθα παραλαβεῖν λόγον, ὅτι ἐν τοῖς ἀλόγοις ζῴοις φυσική τις ἐστὶ φιλοστοργία, ἡ δὲ Κλυταιμήστρα ἄστοργος.*

quartum epeisodion. vss. 1098—1383.

vs. 1098 de Oreste in scaenam veniente schol.: *Ὀρέστης πάρεστιν σὺν τῷ Πυλάδῃ κομίζων τὰ λείψανα τῶν λογοποιουμένων ὀστῶν ἑαυτοῦ. θαυμαστὴ ἡ οἰκονομία τοῦ ποιητοῦ, μὴ ἅμα τῇ ἀπαγγελίᾳ τοῦ θανάτου κομίσαι τὰ λείψανα, ἵνα εὔλογος πρόφασις τῆς παρόδου γένηται τῷ Ὀρέστῃ, καὶ παραυτὰ ὁ ἀναγνωρισμὸς πρὸς αὔξησιν τοῦ πάθους.*

vss. 1232—1287 kommos secundus. cf. schol. vs. 1236. — *παράκειται ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον· ἡ μὲν γὰρ γυνή τε οὖσα καὶ παρὰ προσδοκίαν εὐτυχοῦσα θρασυτέρα ἐστίν· ὁ δὲ ἀσφαλὴς διὰ τὸ νῦν πρῶτον ἐπιχειρεῖν τοιούτῳ κινδύνῳ.*

stasimon quartum. vss. 1384—1397.

vs. 1384. *τοῦ Ὀρέστου εἰσελθόντος ὁ χορὸς ταῦτά φησιν.* — *εἰσεληλύθασι μὲν ἐνταῦθα οἱ περὶ Ὀρέστην καὶ Πυλάδην. τοῦτο δὲ ἤτοι ὁ χορός φησιν καὶ τῆς Ἠλέκτρας συνεισελθούσης αὐτοῖς, καὶ τὸ ἴδετε πρὸς ἀλλήλας φασὶν αἱ τοῦ χοροῦ. ἤτοι ἔξω οὖσα ἡ Ἠλέκτρα*

λέγει πρὸς τὸν χορὸν τοὺς δύο στίχους, καὶ οὕτως εἰσέρχεται, καὶ ἔστι διάλειμμα, ὥστε ἐξελθοῦσαν αὐτὴν ἄρχεσθαι τοῦ 'ὦ φίλταται γυναῖκες'. παρατήρει δὲ ('vide' Donatus!) *ὅτι ἐπὶ μὲν τῇ τοῦ ἀγγέλου παρουσίᾳ προοικονομεῖ ὁ ποιητὴς ἔξω διατρίβειν τὴν Κλυταιμήστραν δι' ἃς προείπομεν αἰτίας.... εἰς τὸ ἀνελεῖν τὴν Κλυταιμήστραν, ἅπερ ἐν τῷ ἐμφανεῖ ὁ ποιητὴς οὐκ εἰσήγαγεν.* Cf. schol. vs. 1495 (Schol. Eur. Hec. 484).

epeisodion quintum. vss. 1398—1441.

schol. vs. 1398. *ἐξερχομένη ταῦτά φησιν.*

schol. vs. 1404. *ἔθος ἔχουσι τὰ γεγονότα ἔνδον ἀπαγγέλλειν τοῖς ἔξω οἱ ἄγγελοι, νῦν δὲ διὰ τὸ μὴ διατρίβειν ἐν τῷ δράματι οὐκ ἐποίησεν· τούτῳ γὰρ προκείμενον τὸ κατὰ τὴν Ἠλέκτραν ἐστὶ πάθος. νῦν τοίνυν βοώσης ἐν τῇ ἀναιρέσει τῆς Κλυταιμήστρας ἀκούει ὁ θεατής, καὶ ἐνεργέστερον τὸ πρᾶγμα γίνεται ἢ δι' ἀγγέλου σημαινόμενον. καὶ τὸ μὲν φορτικὸν τῆς ὄψεως ἄπεστι, τὸ δὲ ἐναργὲς οὐδὲν ἧσσον καὶ διὰ τῆς βοῆς ἐπραγματεύσατο.*

exodos. vss. 1442—1510.

Sicut autem in 'scaenis' Sophocleis, ita in Euripideis quoque scholiasta aestheticus cognoscitur, sed ne longiores esse videamur, hoc monuisse sat sit neque scholia exscribemus.[1])

Iam enim e paucis his scholiis, qui sit scholiasta aestheticus scaenicusque et quo modo haec ratio scholiorum Graecorum expressa videatur esse in commento fabularum Terenti Menan-

[1]) De qua re si quis dubitat, conferat quaeso adnotata de Medeae fabulae scaenis ineuntibus: prologos (vss. 1—130) cf. schol. 1, de Medea cf. schol. vss. 96. 97. — parodos (vss. 131—213) schol. 131. — epeisodion primum (214—445) schol. 214; stasimon primum (410—445) schol. 410. — epeisodion secundum (446—662); stasimon secundum (627—662) schol. 627. — epeisodion tertium (663—865) (764—810 Medea cf. schol. 764); stasimon tertium (824—865) schol. 824. — epeisodion quartum (866—1001) schol. 866 (903. 922); stasimon quartum (976—1001) schol. 976. — epeisodion quintum (1002—1115) schol. 1002 et 1009 (de soliloquio Medeae schol. 1021); stasimon quintum (1081—1115) schol. 1081. — epeisodion sextum (1116—1292), in principio nuntii schol. 1136; stasimon sextum (1251—1292) schol. 1251. — exodos 1293—1419, cf. schol. 1320. Atque in aliis Euripidis fabulis eadem ratio scholiastarum de principiis 'scaenarum' adhibita observari potest.

drearum intellegimus. Occurrit autem nobis in his scholiis Graecis vox '*οἰκονομία*'[1]) identidem iterata, nec raro eandem apud Donatum in fabularum Menandrearum commentario invenias, ubi Donatus ad hos locos de *οἰκονομίᾳ* disserit:

1. De *οἰκονομίᾳ*.

Don. Andr. 228. 1 *haec sunt inventionis poeticae, ut ad οἰκονομίαν facetiae aliquid addant. nam οἰκονομία est, ut accersatur obstetrix et conveniatur Pamphilus; facetia scribentis in his verbis est, quod Archylis compotricem potissimum adduci iubere fingitur.*

Andr. 399. 3[2]) *bona οἰκονομία* (cf. schol. Soph. O. Col. 28 *καλῶς δὲ τὰ τῆς οἰκονομίας*), *ut mox iuste Davo succenseat Pamphilus.*

Davus servus ero persuadet ut se animo obsequenti nuptias a patre iussas ferre simulet. Erus autem monet: 'vide quo me inducas', non incauto igitur ero persuadetur. Ergo, cum omnis culpa huius simulationis in servo sit, '*iuste Davo succenset*' Pamphilus in scaena III 5, quae re vera *οἰκονομικῶς* his verbis Pamphili praestruitur. Cum autem in hac scaena III 5 *πάθος* Pamphili irati tale sit, ut censeamus fieri non posse, quin supplicium sumat de 'scelere qui perdidit', addit poeta, cur non fiat. Itaque bonam *οἰκονομίαν* fabulae servat, cf. 'Donatum aestheticum':

Andr. 623 'non habeo spatium ut de te sumam supplicium' — *οἰκονομία.*

Praeterea optime de *οἰκονομίᾳ* agitur:

Andr. 459. 1: de hoc scholio alio loco disseremus.

Andr. 481. 1 *specta in hac scaena, quam scite expressa sit*

---

[1]) De scholiis tragicis artem *οἰκονομίας* tractantibus cf. A. Trendelenburg l. c. pag. 90 sqq., de Homericis pag. 77 sqq.; uberius de Homericis: Rudolfus Griesinger illo capite III quod inscribitur „Innere Motivierung" l. c. pag. 40 sqq. disserit.

[2]) Scholia aesthetica non solum in principiis scaenarum (etiamsi in his plurima) sed in omni commento praesto esse consentaneum est. Sed illa, quae in initiis posita sunt, cum ad probandum maxime valerent, exempli causa in tabulis elegimus.

consuetudo medici vel medicae egredientis ex aegri domo: nam veniens de negotiis eius loquitur, abiens de morbo. et haec sunt praeter οἰκονομίαν quae dicuntur εὑρήματα (cf. supra Don. Andr. 228. 1).

Eun. 230. 1. *οἰκονομία, qua ostenditur amaturus Chaerea, si quidem hanc Parmeno ipse miratur.*

Eun. 359. 2. *οἰκονομία contra illud, quod meretrix vicina erat.* Haec autem verba recte fiunt de versu 'sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam'. Verisimile enim est Thaidem utpote vicinam notam esse Chaereae et item Chaeream notum Thaidi, at si notus esset, *διελύετο ἂν ἡ ὑπόθεσις* (schol. ad. Soph. El. 818). Ea de causa (Don. Eun. 360. 2) . . . *additur color, quod et illa non diu vicina est et quod adulescens in Piraeo primum commoratus est.* Quod idem scholiasta recte explicat 359. 1: *καλῶς: quomodo enim pro eunucho veniet, si novit aut notus est? . . .* [1])

Eun. 434. *οἰκονομία ad litem futuram inter militem et Thaidem,* ad quae adsumas:

Eun. 440. 2. *hic magna οἰκονομία est, qua Terentius praeparat, quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque et Gnathonem per duas partes serpat fabulae.*

Eun. 501. *οἰκονομία ad litem futuram et exitum fabulae . . .*

Eun. 446. *hic versiculus personam militis et Gnathonis continens pro oeconomia inducitur, qua verisimile fit, facile militem ferre posse anteponi sibi Phaedriam, qui se semper intellexerit non amari*: tum incipit additamentum scholiastae alterius.

Eun. 609. 2. muta vestem — *haec oeconomia ⟨est⟩ ad id, quod in domum Thaidis rediturus est Chaerea.*

Eun. 719. *hic iam προοικονομία ad futurum exitum fabulae ⟨est⟩; nam dum se ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chaereae et confirmantur nuptiae.*

(*προοικονομία* hoc uno loco Menandreo exstat, cf. supra *προοικονομεῖ* schol. Soph. El. 1384).

---

[1]) Orditur hoc scholion et item Ad. 72. 2 (*καλῶς ἀντέθηκεν*) a verbo *καλῶς*. Nemo scholiorum Graecorum peritus multis locis ea sic incipere (cf. schol. Soph. Ai. 23, O. R. 118 al.) nescit.

Ad. 78. 1. *κατ'οἰκονομίαν supervenit, de quo sermo est, ut factis dicta ostendantur.*

Ad. 211. 2. *οἰκονομία* . . . (de hoc scholio suo loco agetur).

Ad. 356. *οἰκονομία, in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, cum ex parva rei suspicione tantum se afficiat* . . .

Ad. 441. 2. *et magna οἰκονομίᾳ senex laudatur, ut postulationi eius statim adsit fides.*

His tot locis Menandreis disserit Donatus de *οἰκονομίᾳ*. At in Apollodori fabulis enarratis — quamquam hic poeta non minus animum ad artem *οἰκονομίας* advertit et attendit — non habemus de *οἰκονομίᾳ* fabulae adnotationes nisi his locis:

Hec. 175. 3. *mira οἰκονομία: fac enim praesentem* (scil. senem Phidippum) *et nullus error in fabula est.* Quod Phidippus ruri versatur nihil attinet ad 'errorem' fabulae, quem breviter sic describas: Pamphilus virginem ante nuptias vitiatam et ex se gravidam ipse huius rei inscius in matrimonium duxit; haec propter partum, non propter rixam cum socru habitam domum matris suae revertit. — Scholiasta igitur hoc Hecyrae[1]) loco non tam fabulae quam suum ipsius 'errorem' nobis aperuit, cum nesciret, quae esset vis *οἰκονομίας* vocabuli, quod in scholiis Graecis[2]) vel Donatianis ad Terenti fabulas Menandreas legerat.

Restant duo de *οἰκονομίᾳ* loci in Phormionis fabula: altero scholiasta velut Euanthii exemplum secutus agit (Phorm. 750. 2) de poeta cavente ne comoedia in tragoediam transeat. Cur autem *οἰκονομία* adscripta sit Don. Phorm. 534: Quid faciam? — *οἰκονομία ad futurum exitum comoediae* in propatulo non est.

Tenentibus igitur nobis scholiastam, qui Terenti fabulas Apollodoreas interpretatur, minus *οἰκονομίας* vocem adhibere

---

[1]) Altero loco Hecyrae omnino non intellegimus, quid sibi velit scholiasta: Hec. *810. 2. *οἰκονομικῇ διανοίᾳ.* Haec autem verba, cum in codicibus non exstent, in dubium sunt vocanda.

[2]) Recte oeconomiam de persona absente, ut e multis exemplum unum afferam, scholiasta adnotat ad Soph. Ai. vs. 342 cf. A. Trendelenburg l. l. pag. 98. 99.

quam scholiastam ad Menandreas Terenti fabulas mirum non videbitur, quam eleganti et subtili arte hic, non ille de *οἰκονομίᾳ* fabulae nonnulla disserat. In quibus haec scholia numeres:

Don. Andr. 459. 1. *in hac scaena novo modo cessante Davo fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. simul in hac scaena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. et quaedam industria, quaedam velut casu eveniunt, ut nunc suspicio senis; in multis enim οἰκονομία comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptoris factum sit.*

Neque autem desunt alii loci Menandrei, ad quos scholiasta docet 'certum poetae consilium latere spectatores et personas fabulae':

Eun. 965. *totum hoc ad id additum, ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias. sed poeta hoc agit, personae nesciunt.*

Eun. 997. *suave est nescire personas, quid agat poeta: ita non periclitaturus Parmeno.*

Eun. 1002. 1. *Pythias egreditur velut irrisura Parmenonem, ut ipsa putat; egredi autem a poeta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex.*

Eun. 292. 1. *in hac scaena novus amor adhuc ephebi et consilium dehonestandae virginis ostenditur tanta virtute poetae comici, ut hoc commentum non quaesitum esse sed occurrisse sua sponte videatur.* — quod idem habes repetitum Eun. 364. 1. Cf.:

Eun. 356. 3. *et vide, quam molliter et sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem poeta perveniat, ut de eunucho facta mentione consilium nascatur supponendi Chaereae.* Quod repetitur Eun. 370. 1. — Praeterea cf. Ad. 252. 1.

Nec satis: singulae animadvertuntur *οἰκονομίας* species, in quibus agitur praecipue de *πιθανότητι*.[1])

Don. Eun. 296. 2. *πρὸς τὸ πιθανόν*[2]) *argumentatus est, ut ostenderet hunc grandem iam ephebum etiam amoris expertem non fuisse . . .*

---

[1]) Quid scholiastae Homerici de *πιθανότητι* docuerint uberius explanat R. Griesinger l. l. p. 29 sqq. 53.

[2]) *παρὰ τὸ πιθανόν* Don. Ad.* 511.2. (coniectura Wessneri probanda est).

Eun. 360. 1. *artificiose inculcat poeta τὸ πιθανόν.* (Idem scholiasta, qui *οἰκονομίαν* adnotat Eun. 359. 2)

Ad. 654. 1. *πιθανῶς.* Cf. supra schol. Soph. El. 660. — Schol. Eur. Phoen. 1357. Hipp. 337. 514 al.

Andr. 447. 2. *mire servatum est in adulescente libero τὸ πρέπον*[1] *et in amatore τὸ πιθανόν*[2], *nam* ... cf. schol. Soph. Ant. 65. *πιθανῶς καὶ τοῦ πρέποντος ἐφρόντισεν.*

De *οἰκονομίᾳ* caput absolvimus. Iuvat deinde pauca etiam de *ἠθοποιίᾳ* afferre.

2. De ἠθοποιίᾳ.

Principium capiamus a schol. Soph. El. vs. 328 supra p. 16 exscripto: *ἐπίτηδες τοῖς ἀγρίοις ἤθεσιν ἀντιπαράττουσι πρᾶα καθάπερ* .. Hoc enim loco interpres artem ethopoeiae aeque ab epicis et dramaticis poetis adhibitam illustrat. Nam poeta, cum iudicium personae alterius de altera nobis narrat, eam describit, persaepe etiam demonstrat alteram personam aut esse similem alterius aut mores eius a moribus alterius abhorrere, qua re fit, ut spectator, qui animo suo personas in comparationem vocat, melius quae sit unaquaeque, cognoscat. Sed Donatus 'aestheticus' nos doceat:

Eun. 132. *ex aliena persona vult ostendere praeter affectum quanti sibi existimanda sit et quanto munere miles Phaedriae meruerit anteponi* (cf. 136. 2).

Ad. 80. Salvum te advenire, Demea, gaudemus *ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem obiurgaturus est.* Cf. Ad. 81. 1. 447. 2. Ad. 26. 2. Andr. 274. 1.

---

[1]) Illud autem *πρέπον* persaepe in schol. Graecis tragicis atque Homericis exhibitum invenitur praecipue in commentario fabularum Ter., quae de Menandro sunt ductae: Don. Andr. 798. 1. Ad.* 598. 1. Praeterea uno loco Terenti Andr. 325.

[2]) *πιθανόν* in Menandreis modo fabulis Terenti enarratis nobis occurrit. *ἀπίθανον* uno loco Hec.* 138. 3, sed hoc mera coniectura Stephani est a codicibus non suppeditata.

Nunc vero specta nobiscum Donati ad Apollodoreas fabulas commentarium: qui numquam adnotat quomodo 'comparatione' illustrentur personae, quamquam rhetoricam illam 'qualitatem comparativam' (Don. Phorm. 153. 2) persaepe attulit.

His autem de comparatione scholiis nova quaedam addere liceat de ἠθοποιίᾳ. Personas enim coram aliis aliter loqui neque rerum statu mutato se semper eosdem praestare consentaneum est. Id autem in comoediis quoque observari 'Donatus' explicat:

Don. Ad. 210. 3. *et vide, quam ingeniose Terentius, qui supra ab Aeschino lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob aetatem ac negotium, at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum lenone loqui et eum Sannionem vocare. fere qui in sordidis professionibus agunt, honorifice proprio nomine appellas, at ⟨in⟩ splendidis artibus constituti gaudent artis nomine nuncupari ut imperator orator philosophus* ... cf. Don. Ad. 288. 4. Eun. 455.

Ad. 270. 3. *specta, si non rusticus adulescens est et purissimae simplicitatis, adeo ut etiam velle laudare fratrem nimio pudore non possit hoc solo, quia praesens est, cum illum nimium laudarit absentem.*

Ad. 456. 2. *et vide, quam vigilanter poeta, cum simpliciter matronam de absente Hegione loquentem induceret 'coluit nos' dixit, cum servus et supplex apud praesentem loquitur, 'tu es patronus'.*

Hanc artem a scholiasta his locis Menandreis laudatam etiam ab Apollodoro adhibitam esse videmus Hec. 84, ubi Parmeno Philotidem appellat meretricem, quia ea adest, antea autem, cum Parmeno secum locutus sit neque meretrix audiverit verba servi, dixit vs. 81: 'sed videon ego Philotium?' Nec tamen ita ut in Menandri fabulis qua de causa nomen meretricis sit mutatum interpres cognoscit, sed quod scholiasta ille 'ingenium' et 'vigilantiam poetae' nominavit, 'licentiam' esse alter affirmat (Hec. 84. 1).

Fit autem, ut aliis verbis personae ac per ἦθος verisimile est utuntur, si earum aliud est πάθος:

Don. Eun. 320. *non hoc personae attribuendum est, sed affectui.* (ὑπὸ τοῦ πάθους προαγόμενος schol. Soph. Ai. 562. 1285). Cf. Don. Eun. 58. 226. 2. 848. 2. 849. 1. Ad. 780. 2. 772. 768.

Personarum ἦθος autem affectibus quasi mutatum videri non adnotatur nisi a Terenti fabularum Menandrearum commentatore, exemplum videlicet secuto scholiastarum Sophoclis et Euripidis, cf. H. Steinmann l. l. p. 63. 64.

Atque etiam subtiliora de arte ἠθοποιίας poetarum Atheniensium enucleavit hic trium Terenti fabularum Menandrearum interpres aestheticus:

Eun. 91. 1. *magna virtus poetae est, non sententias solum de consuetudine ac de medio tollere et ponere in comoedia, verum etiam verba quaedam ex communi sermone ...*

Ad quod scholion adsumas: Don. Eun. 432. *disciplina est comicis ut stultas sententias ita etiam vitiosa verba ascribere ridiculis imperitisque personis ... vide igitur poetam pro loco ac tempore scire quid dicat.* Cf. Eun. 792. 2.

In his *personis imperitis,* quae *vitiosa verba* faciunt, sunt milites, rustici, parasiti. Nullo autem loco commentarii ad Menandri fabulas scripti in hoc numero servi quoque habentur. Quid mirum? Servi Athenienses et ei, qui in comoedia socii atque paedagogi epheborum inducuntur, non sunt homines impoliti aut ineruditi; id quod optime nos docent servi illi in fabulis Menandreis nuper repertis. Haud mediocriter enim delectamur in Ἐπιτρεπόντων comoedia[1]) verbis Syrisci, quibus crepundia infantuli Smicrine arbitro reposcit; nam suo iure de Syrisco dicitur vs. 19: *μετρίῳ*[2]) *γε συμπέπλεγμαι ῥήτορι.* Neque mirandum nobis est quod idem vs. 108 Sophocleam fabulam respicit, nec quod Onesimus servus vs. 525 Euripidis versus pronuntiat. Vitiosa igitur verba apud Menandrum invenimus nusquam, ubi mancipia loquuntur, quae res multos saepe ita fugit, ut de servis non minus falso iudicarent quam interpres Phormionis et Hecyrae, qui summo ingenii acumine illustrare studuit, quo modo vitiosa verba exhiberent servi: Ph. 249. 2.

---

[1]) Utor libro qui inscribitur: Menandrea ex papyris et membranis vetustissimis ed. Alfr. Koerte. Lipsiae MCMX.

[2]) *μετρίῳ* 'minime imperito' cf. J. v. Leeuwen l. l. p. 20 adn.; U. de Wilamowitz nov. ann. phil. XXI 1908 p. 51 adn.

vitiosam locutionem servili personae dedit Terentius; nam integrum esset, si diceret 'habendas compedes'. unde quidam non esse sed usque legunt. Cf. Hec. 306. 1. 309. 2. 311. 3. 323. 2. Ph. 186. 6.

Optimo igitur iure servorum vitiosam locutionem numquam castigavit scholiasta fabularum Menandrearum. Sint enim servi personae ridiculae comoediae (cf. Don. Phorm. 138. 1.), non sunt ineruditi. Quae cum ita sint, habemus in Menandri fabulis adnotatis scholiastam, qui melius novit res Athenienses quam interpres comoediarum de Apollodoro conversarum.

Caput de *ἠθοποιίᾳ* relicturis addere nobis liceat saepius hunc scholiastam aestheticum

3. de rebus Graecis

cum de comoedia, tum de vita cotidiana sic loqui, ut eum quasi Graecum dicere possis. Scholia varii generis testimonio sint:

Don. Ad. 26. 1. *nomina personarum, in comoedia dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam. etenim absurdum est comicum, ⟨cum⟩ apte argumenta confingat, vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum. hinc servus fidelis Parmeno, infidelis Syrus vel Geta, miles Thraso vel Polemon, iuvenis Pamphilus, matrona Myrrina et puer vel ab odore Storax vel a ludo et gesticulatione Scirtus et item similia. in quibus summum poetae vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per ἀντίφρασιν ioculariter nomen imponit, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. et fere apud alios hoc modo poetas nomina componuntur per ἀντίφρασιν describentia quod designant.*

Quo quidem loco occurrit interpres aestheticus, qui cum rerum Atheniensium tum fabularum novae comoediae scientem se praestat. Nam manifestum est eum non solum singulos locos Terenti explicare, sed etiam nomina afferre, quae non sunt apud Terentium (Misargyrides, Polemon) nec Plautum (Polemon). Quibus vero locis invenimus nomen Polemonis? in Menandrea scilicet '*Περικειρομένης*' fabula nuncnuper reperta.

Idem autem interpres qui Ad. 26. 1 etiam alibi de nominibus comicis verba facit:

Andr. 226. 4. *semper nomina comicorum servorum aut a nationibus sunt indita, ut Mysis Syrus, aut ex accidentibus, ut Lesbia velut ebriosa a Lesbo insula, quae ferax est suavissimi candidissimique vini, aut a moribus et vernilitate, ut Pseudulus, aut ex negotio, ut Chrysalus, aut ex qualitate corporis, ut Thylacus, aut ex specie formae, ut Pinacium.* Non exstant nomina Pseuduli Chrysali, Thylaci, Pinacii in Terenti fabulis neque 'Thylaci' in Plautinis. Cf. Don. Eun. 414. 2, 774. 3; Ad. 581, 973. 1. De hac poetae τοῦ ἠθοποιεῖν arte ad Apollodori fabulas nihil dicitur nisi Hec. 78. 4: *Scirte, convenit nomen servo puero παρὰ τὸ σκιρτῶσαι, quod est g e s t i r e et l u d e r e,* sed haec verba ex Ad. 26. 1 .... *vel a l u d o et g e s t i c u l a t i o n e Scirtus* ...... mihi videntur transscripta esse.

Quis porro scholiastam Graecum appellare dubitat eum, qui ad versum Ter. Andr. 219:

quidquid peperisset, decreverunt tollere

adscribit (Don. 219. 1) *maiorem reprehensionem sonat 'quidquid peperisset': paritur enim aut mas aut femina, et solet iustior causa esse tollendi, si marem uxor peperit. sed amoris nimii est, non expectare quid tollas.* Loquitur igitur scholiasta de liberis tollendis vere Graecus, cui crudelis immanisque mos liberos exponendi cognitus atque apertus est, nam miratur, quod Pamphilus puellam tollit, non exponit. Ac conferamus interpretem versum 400 Hecyrae, fabulae non Menandreae, enarrantem:

continuo exponetur: hic tibist nil quicquam incommodi

Et mire necandi pueri non fit mentio, quia Pamphili filius invenietur, cum ei etiam per patrem puellae poeta succurrit (400. 2). Qui illud 'exponi' *ad mortem* (schol. 3 posterior) esse et re vera hoc loco *necandi pueri* pro illo Atheniensium more mentionem fieri ignorat. Idem igitur, quod supra affirmavimus, s c h o l i a s t a m f a b u l a r u m d e M e n a n d r o d u c t a r u m n o n n e s c i e n t e m r e r u m A t h e n i e n s i u m esse perspicimus.

Quin etiam scholiastam nostrum

4. Literis Graecis

altero magis imbutum esse censeo.[1]) Laudantur enim in commento Menandrearum tantum fabularum:

Hellanicus Eun. 167. 4 *eunuchos a Persis institutos putant ex captivis; a Babylonibus enim Hellanicus auctor exstat id habuisse* (= Fr. H. Gr. I p. 68). Cf. 6. *εὐνοῦχος εἴρηται ὡς εὐνὴν ἔχων, τοῦτ' ἔστιν φυλάττων, ὡς ἡνίοχος ῥαβδοῦχος σκηπτοῦχος· εὐνὴν οὖν γυναικὸς κἀνδρός.*

Theocritus Ad. 537. 2 (*οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες*).

Aristophanes Eun. 689. 1 .... *γαλεώτης stellio ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις* (174) '*ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους*'.

Ut nos saepe verbum alterius loci altero loco explicamus atque demonstramus eandem verbi vim in duorum poetarum carminibus exhiberi, ita Donatus ad Terentiana Plauti verba in comparationem vocat, cf. Don. Ad. 914. 6; Andr. 186. 1, 205. 2, 251. 2, 331. 3, 430. 1; Ad. 1. 1, 2. 3, 15. 1, 50. 2 al. Eadem ratione hoc loco scholiasta Menandri verbum *γαλεώτης* etiam in Nubibus Aristophanis in usu esse scribit. Hos autem poetas saepe comparatos esse non nescimus, cum nobis in manibus sit Plutarchi illa *σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου.* At vero scriptores Graeci sunt, qui hanc *σύγκρισιν* exercuerunt, atque in his verbis quoque: *ὥςπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις* rationem interpretum Graecorum iteratam esse cognoscimus. Nam legimus in scholiis Euripideis — haec exemplo sint — illud *ὥςπερ (καὶ, ὡς)* cum Sophoclis (cf. schol. Med. 93; Hipp. 551; Hec. 177, 370) versus adscribuntur, aut in Sophocleis, cum Euripidis (cf. schol. Ai. 190; O. Col. 467; Ai. 833) versus adscribuntur. In Graecis

---

[1]) Hi scriptores Romani memorantur: Vergilius (ad 440 locos, sed eidem saepe repetuntur et non pauci a magistris prave sunt additi), Cicero (96), Sallustius (76), Plautus (71), Lucilius (28), Caecilius (19), Horatius (19), Ennius (12), Probus (9), Lucretius (8), Varro (7), Tubero (7), Naevius (5), Asper (3), Nigidius (3), Lucanus (2), Persius (2), Accius (1), Afranius (1), Cato (1), Catullus (1), Iuvenalis (1), Luscius Lanuvinus (1), Pacuvius (1), Pomponius (1).

igitur scholiis illud *ὥςπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις* inveniri facile credimus, non in Romanis!

Nec tamen in tales cogitationes cadunt ei loci commenti fabularum Apollodorearum, qui ex homine vere rhetorico sunt nati. Nam auctores Graeci citantur, qui ut auctores orationis ornandae maxime a rhetoribus leguntur et expilantur: Homerus (locis 7 commenti Men., loc. 3 Apollodorei), Demosthenes Don. Ph. 68, Isocrates Don. Ph. 252, Euripides Don. Hec. 214.

Neque mirum videtur esse, quod ex ceterorum scholiorum Graecorum more etiam hoc commentum fabularum Menandrearum ingenium spirat Peripateticorum. De his 'philosophicis' imprimis ad Terenti fabulas de Menandro conversas adscriptis: Andr. 30.5, 716. 3. 4, 720. 5, Ad. 386 cf. J. J. Hartman l. l. p. 117 sq.

Habemus igitur scholiastam peritissimum artis *οἰκονομίας, ἠθοποιίας*, literarum Graecarum. At permultis locis non licet secernere scholiastam 'aestheticum' et 'rhetoricum'; nam, ut Ciceronis verbis de or. III. 27 utamur, *poetis est proxima cognatio cum oratoribus.* Scholiastae igitur praeceptis rhetorum imbuti varia doctrina aesthetica quoque instructos se praestant, ut idem Aristoteles dux et auctor artis rhetoricae et poeticae fuit. Quam ob rem non miramur scholiastam rhetoricum, quem in commento Apollodorearum potissimum fabularum inveniri diximus, nonnulla scholia praebere, quae et rhetorica et aesthetica nominare possis. Quo in numero haec sunt habenda:

ἰδιωτισμός (τῷ ἰδιωτισμῷ). Andr. 82. 6, 118. 2; Eun. 531. 2, 681. 1; Ad. 33. 3, *115. 3, *192. 3, *228. 3, *256. 2, *276. 2, *329. 2, *476. 7, *790. 5; Hec. 502. 3, 522. 4, 551. 5, 565. 1, 621. 3.

---

[1]) De hac re cum alio tempore longius disserere in animo sit, nunc sat est monuisse in scholiis praeter Peripatetica etiam Stoica vestigia apperere, quae videntur haec esse: *λόγος ἐνδιάθετος — λόγος προφορικός* Ad. 30. 3. — Refellitur *δόγμα Ἐπικούρειον* Andr. 959. 4. (1). *ἀκρότητες — ἰσότητες* (*physici aiunt*) Eun. 84. 1 (cf. app. Wessneri ad hunc locum). *ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν* Ad. 69. 2 *(qui suum officium facit).*

ἰδιωτικῶς Eun. 1001. 4; Ad. *68. 2, *374. 2, *559. 3, 713. 4, *849. 1, *899. 1, *916. 1; Hec. *236. 2.

ἰδίωμα Ad. *518. 1.

μίμησις Andr. 110. 1, 286. 1, 773. 1. 2; Eun. 156, *244. 1, 308. 3, 580, 595, 1; Ad. 204; Hec. 131. 5, 148, 2, 803. 1, 805. 1. Atque his locis ego quidem addo Hec. 875. 1 *verba sunt cogitantis 'ego hunc ab orco mortuum'?; ideo et μιμητικῶς loquitur.* Illud enim *ἐλλειπτικῶς*, quod Wessnerus coniecturam Stephani amplexus legit, in codd. non exstat, exhibet autem cod. V *ἐμιτίτικως*. Qua de causa iam *μιμητικῶς* probabilius videtur, praesertim cum optime quadret ad locum: repetit enim vs. 875 servus Parmeno verba Pamphili adulescentis 'ab orco mortuum' (vs. 852) itaque *μιμητικῶς* loquitur, nam *μίμησις* dicitur, cum non verba modo, verum etiam gestum vocemque fingimus alienam; cf. Don. Andr. 110. 1 . . . *ipsum gestum cogitantis exponit. est igitur μίμησις.*

ὑπόκρισις (ἐν ὑποκρίσει) Andr. 348. 1, 350. 1, 386. 3, 773. 1, 921. 1; Hec. 601. 3, 477. 4; Ph. 131. 2, 466.

(*ἐξεταστικὴ ὑπόκρισις* Hec. 311. 1).

ἐν ἤθει (*moraliter* Donatus).[1]) Andr. 875. 5; Eun. 48; Ad. *238. 3, *304. 1 (cf. 3), *492. 2; Hec. *214. 5, *133; Ph. *70. 4.

ἠθική (εἰρωνεία) Ad. 176. 1; Hec. 438. 1 *ἠθικῇ ὑπερβολῇ*.

ἠθικῶς Andr. 560. 1, 637. 2; Eun. *14. 2, 214. 1, 310. 5; Ad. 61. 1, 407. 1, 413. 2, *304. 3; Hec. *223. 1, 550. 1; Ph. 134. 1, 137. 1.

Ter. Hec. 605. Pa. Vae misero mihi! So. Et miquidem: nam haec res . . . . Don. Hec. 606 *οὐκ ὀρθῶς: quid enim 'et mihi' an 'ei mihi'? . . . .*

Secundum id, quod codd. exhibent, malo *ἠθικῶς*, ad quod etiam optime quadrant, quae insequuntur verba Donati *multa sic in usu nostro sunt,* cf. Don. Ad. 914. 6 *nimis morale est . . . . est autem . . . . figura etiam apud Plautum frequentissima.*

χαρακτηρισμός Hec. 352. 1; Eun. 301. 4.

χαρακτὴρ κωμικός Hec. 611. 2.

---

[1]) De scholiis Graecis *ἦθος* tractantibus cf. A. Trendelenburg l. l. p. 110 sqq.

ὑποκόρισμα[1]) Andr. 710. 3; Eun. 531. 2; Ad. 763. 3, 786.

ἀπροσδοκήτως[1]) Eun. 779. 1.

παρὰ προςδοκίαν[1]) Eun. 14. 2, 98. 3, 223. 1 (Ph. 208. 1).

ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου[1]) Ad. 693. 3 cf. 694. 1 *ἀπὸ τοῦ ἄλλου ἀδυνάτου.*

(secundum) *φυσιογνώμονας* Hec. 75.

comoediae σύνθεσις Ph. 57. 3.

δραματικῶς errat Hec. 349. 2.

κωφὸν πρόσωπον Eun. 506 cf. Hec. 793. 3, 78. 3; Ph. 152. 2, 350. 1.

κατὰ τὸ σιωπώμενον[2]) Eun. 435 cf. schol. Eur. Hec. 484; Don. Hec. 711. 1.

ἀνάμνησις Andr. 105. 2.

παρασκευή (*praeparatio, praestructio*) Andr. 226. 1; Eun. 103. 2; Ad. *263. 4; Hec. 574. 1; Ph. 101. 3.

Sed ne hunc quidem aestheticum 'rhetorem' in fabulis Menandreis eundem esse atque in Apollodoreis adnotatis existimamus. Exhibentur enim saepe eadem vocabula artis ita, ut illic scholiastam magis aestheticum, hic vero virum vere rhetoricum dicas. Quod ut probemus, nonnulla eligere liceat ex quaestionibus nostris de Donato scholiasta rhetorico grammaticoque.[3]) Oculis igitur subiciamus, quae enucleavimus 1. de analogia, 2. de amphibolia, 3. de astismo, 4. de ethopoeia.

---

[1]) In tractatu Coisliniano (illis excerptis ex ampliore sive de poetica universa sive de poesi scaenica libro) legimus (Com. Graec. frgm. I. 1 ed. G. Kaibel p. 50. 51) risum gigni aut *ἀπὸ τῆς λέξεως*, id est *κατὰ ὁμωνυμίαν, συνωνυμίαν, ἀδολεσχίαν, παρωνυμίαν, ὑποκόρισμα, ἐξαλλαγήν, σχῆμα λέξεως*, aut *ἀπὸ τῶν πραγμάτων* i. e. *ἐκ τῆς ὁμοιώσεως, ἐκ τῆς ἀπάτης, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἐκ τοῦ δυνάτου καὶ ἀνακολούθου, ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν* eqs. — Cum eadem vocabula huius auctoris Graeci aesthetici a rhetoricis quoque adhibeantur, non semper scholiastam aestheticum et rhetoricum diiudicare licet. Sed figuras *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* et *ὑποκόρισμα* in commento Menandrearum modo fabularum adnotari animadvertendum est.

[2]) Cf. M. Dorn l. l. p. 50. Henr. Georgii, Die antike Äneiskritik aus den Scholien und anderen Quellen hergestellt. Stuttgart 1891 p. 157.

[3]) Totam de Donato *oratore urbis Romae* et *grammatico* commentationem, quam amplissimo philosophorum ordine adnuente typis nondum mandavi, alio tempore in lucem edam.

1. De analogia.

Don. Ad. 789. 1 *multum laboravit Terentius, ut ἀναλογίαν servaret in dolore Demeae, quod maior debet in Ctesiphone esse reprehensio quam in delictis Aeschini.* Eun. 790. 3 *bona analogia: qui leviora laudaverat, hic exclamare iam debet....*

Ad hos locos Menandreos legimus scholiastam, quem artis ethographicae peritum esse recte contendit H. Steinmann l. l. p. 66, 67. Alia est sententia scholii: *et est figura analogia,* quod adscribit Donatus Hec. 48. 2 ad verba prologi Terentiani: 'facite ut vostra auctoritas Meae auctoritati fautrix adiutrixque sit.' Itaque locis Menandreis 'ἀναλογία' est vocabulum scholiastae aesthetici, Apollodoreis vero rhetorici.

2. De amphibolia.

Donatus in 'arte grammatica' (Grammatici Latini ex rec. H. Keilii vol. IV, Lipsiae 1864 p. 395. 20) scribit in illo capite 'de ceteris vitiis':

Amphibolia est ambiguitas dictionis (cf. Don. Ph. 7. 2, 96. 4, 354, al.; Ad. 683), *quae fit aut per casum accusativum....* cf. Andr. 896. 1. Ego me amare hanc fateor — *ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης.* Ad. 33. 5, 86. 1; Andr. 564. 1; Hec. 88. 3, 772. 3; Ph. 366. 1 cf. Hec. 201. 2.

'per genetivum': Andr. 261. 3 (misericordia huius), Andr. 156. 5, 262. 2; Hec. 167. 3.

ambiguitas dictionis facta alio quodam modo: Ph. 22. 2, 33. 3, 74, 1. 3.

Omnibus his locis secundum legem Artis *ἀμφιβολία* recte adscribitur. Neque autem ambiguitatem dictionis, vitium utpote orationis, sicut facit Donatus, alter scholiasta locis quibusdam Menandreis adnotat, sed artem et figuram verbo *ἀμφιβολίᾳ* laudat:

Eun. 1090. 1. Secundum facta et virtutes tuas: *et hoc ἀμφίβολον, nam virtutes εἰρωνικῶς pro vitiis ponuntur....*

Andr. 955. 3 *eleganter lusit ad amphiboliam et simul ostendit, quam propitius sit Pamphilo pater et quam facile veniam Davo*

impetrare possit ab eo, quippe qui iam etiam iocetur; Pamphilus enim dixerat 'non iuste', ille sic respondit, quasi dixerit 'non diligenter vinctus est'.

Andr. 68. 3. Obsequium amicos, veritas odium parit — *ἀμφίβολος sententia et probabilis magis quam necessaria aut honesta* (scholiasta 2 alter: *sententia παράδοξος*).

Hoc loco ambiguitatem dictionis esse scholiasta dicere non potest, neque enim est *ἀμφίβολον* quicquam in verbis, sed vim verbi auget interpres aestheticus, cum verbis *ἀμφίβολος sententia* de praeceptis morum loquitur.

3. De ethopoeias voce.

De hac figura scribit R. Volkmann Rh.[2] p. 490.[1]) ..... *Die Ethopoeie oder μίμησις, imitatio morum alienorum .... Aq. Rom. p. 24: certis quibusdam personis verba accomodate adfingimus, vel ad improbitatem earum demonstrandam vel ad dignitatem.* Idcirco haec figura, quae sit, recte intellegitur a scholiasta rhetorico ad locos non Menandreos,. cf. Eun. prol. 14:

Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
'defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi':
is ne erret....

Don. Eun. 15. 3. *σχῆμα διανοίας· ἠθοποιία.*

Non aliter *ἠθοποιία* = *μίμησις* adscribitur ad verba Parmenonis de domino loquentis Ter. Hec. 145 sqq.:

narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet,
seque ante quam eam uxorem duxisset domum
sperasse eas tolerare posse nuptias.
'sed quam decrerim me non posse diutius
habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
neque honestum mihi neque utile ipsi virginist,
quin integram itidem reddam, ut accepi a suis'.

Don. Hec. 148. 2. *'ἀποστροφὴ καὶ ἠθοποιία ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικήν'*. Re vera est *ἠθοποιία* et *μίμησις* in oratione servi, qui non modo verba, sed etiam vocem gestumque domini Pamphili fingit. *ἠθοποιία* his duobus locis Terentianis eandem vim

---

[1]) Die Rhetorik der Griechen und Römer[2]. Leipzig 1885.

μιμήσεως quam apud rhetoricum scholiastam habet. At contra in Menandreis fabulis alia quaedam ἠθοποιία uno loco adscribitur: Ad. 308. 3 *ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur. et quia oportuit ipsam priorem loqui, praesens loquitur. quia autem non est perdenda tam suavis ἠθοποιία dolentis ad irascentem, idcirco non audit Geta, conversus ne ob illam loqui desinat.*

Hoc loco Menandreo tenemus scholiastam illum aestheticum, non rhetoricum: ἠθοποιία Getae hoc loco est morum: ἤθους notatio, non figura διανοίας. Alia est ἠθοποιία in Menandri locis enarratis, alia in non Menandreis.

4. De astismo.

De hac specie allegoriae docet Donatus (A. Gr. p. 402. 16 K.): *astismos est tropus multiplex numerosaeque virtutis. namque astismos putatur quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis urbanitate expolitum est.*

Multiplicem tropum esse ἀστεϊσμόν dicit Donatus (item Diomedes et Charisius;[1]) Herodianus Rh. Gr. III. 98. 12 Spengel, Anonymus III. 214. 6, Demetrius III. 291. 1.) nec tamen diligentius explicat illa multiplicia genera, quae nobis sunt cognoscenda; cf. Amplium Cocondrium (Rh. Gr. III. 235. 20.): εἰρωνεία ἐστὶ λόγος διὰ τοῦ ἐναντίου τὸ ἐναντίον μετά τινος ἠθικῆς ὑποκρίσεως δηλῶν, ἔστι δὲ αὐτοῦ τὸ μὲν ἐφ' ἡμῶν, τὸ δὲ ἐπὶ τῶν πλησίον· καὶ τὸ μὲν ἐφ' ἡμῶν ἀστεϊσμὸς καλεῖται καὶ ἀντιμετάθεσις, τὸ δὲ ἐπὶ τῶν πλησίον χλευασμός, μυκτηρισμός, χαριεντισμός, ἐπικερτόμησις, διασυρμός, ἐναντίωσις. Recte igitur R. Volkmann Rh.[2] p. 433 scribit: 'Der ἀστεϊσμός ist eine witzige Selbstironie, μυκτηρισμός und χλευασμός dagegen bezeichnen die auf andere gerichtete Ironie'. Donatus autem in Arte sua sicut non docet interesse inter ironiam in se ipsum et in alios factam, ita verba μυκτηρισμόν, χλευασμόν, διασυρμόν in Arte non exhibet. At multo aliter haec genera εἰρωνείας in commento Terenti tractantur. Agedum inspiciamus locos, ubi ἀστεϊσμός legitur:

---

[1]) Itaque etiam auctor his tribus grammaticis communis — nam Charisium, Diomedem, Donatum ex eisdem fontibus hausisse constat (Keil Gr. L. IV p. XL) — vim ἀστεϊσμοῦ sic statuit.

Don. Eun. 342. 2. *moraliter τῷ ἀστεϊσμῷ.* Narrat Chaerea adulescens Parmenoni servo, quomodo se senex quidam sit moratus, ut virginem pulcherrimam, quam sequeretur, e conspectu amitteret; roganti iuveni, num quid velit senex, ille 'recte' respondet. Ad hoc autem verbum adnotat scholiasta *moraliter τῷ ἀστεϊσμῷ* (cf. Cocondrium l. l. *μετά τινος ἠθικῆς ὑποκρίσεως*), atque id optimo iure, nam illud 'recte', quod dicit Parmenoni senex, nullo modo ad eum, qui res adversas suas narrat, quadrat, sed *τῷ ἀστεϊσμῷ, εἰρωνείᾳ ἐφ' ἑαυτόν*, repetit adulescens hoc verbum sibi a sene illo puncto temporis datum, cum puellam ex oculis amisit.

Don. Eun. 274. 1. Parasitus Gnatho ad Thaidem meretricem ducit puellam pulcherrimam, munus illi gratissimum; ante domum Thaidis Parmenonem servum Phaedriae rivalis offert. Quem cum velit 'urere', interrogat 'sed quid videtur hoc tibi mancupium?', donum suum 'non malum hercle' 'mancupium' dicit ideoque ipse se illudit. Recte igitur scholiasta: *ταπείνωσις τῷ ἀστεϊσμῷ,* hoc enim loco id est, quod R. Volkmann „eine witzige Selbstironie" nominat.

Eun. 123. 1. *εἰρωνείαν ἐφ' ἑαυτόν* subesse aestimator ille aestheticus fabulae optimo iure censet. Nam ut aliis locis Eunuchi fabulae etiam vs. 123 moraliter se ipse comicus servus Parmeno illudit: dixit meretrix Thais vs. 119. 120:

ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite,
abii huc: qui mihi reliquit haec quae habeo omnia.

et respondet Parmeno (v. 121):

Vtrumque hoc falsumst: ecfluet. TH. Qui istuc? PA. Quia
neque tu uno eras contenta neque solus dedit:
nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.

Magnifice se iactat servus et digito se ipse ostendit (hic!). Recte autem dicit, nam ut servus Parmenonis persaepe dona ad meretricem attulit atque allaturus est (III. 2), sed re vera non est donator. Iuvat nos facetus ille Parmeno ipse se illudens his verbis, quibus restinguit verbum illud acerbum 'neque tu uno eras contenta neque solus dedit'. Huic ioco subridens placido animo meretrix respondet 'itast'. Nec tamen omnes, qui legerunt hunc locum venustum, cognoverunt, quid sibi vellet poeta (in quibus

J. J. Hartman l. l. p. 11), nedum redactor ille, qui in fonte adnotationum suarum, in excerptis commenti Donatiani, ad hunc locum nihil invenit nisi verbum ἀστείως (cf. Don. Eun. 342. 2 ἀστείως). Redactor enim et poetae et scholiastae locum prave explicavit, cum hanc voci illi ἀστείως explicationem suam adderet: *nec 'Phaedria', sed 'hic' dixit tangens illum et quasi invito illo haec exprobat.*

Scholiasta in Menandri fabulis enarratis interesse inter ironiam *τὸ μὲν ἐφ' ἡμῶν, τὸ δὲ ἐπὶ τῶν πλησίον* scit. Illis tribus locis, quibus persona de se ipsa per ironiam loquitur, recte adnotatur tropus ἀστεϊσμός. In Apollodori autem fabulis legimus ἀστεϊσμόν secundum Donati in Arte praeceptum: *quidquid . . . faceta satis urbanitate expolitum est,* et id in alteram personam:

Ph. 151. 2. Ut bene sit tibi *ἀστεϊσμός pro nihil.* Alius est tropus astismi in Menandri, alius in Apollodori fabulis. („Höflichkeitswendung" vertit Hauler).[1]

Cum scholiasta alter non distinxerit inter ironiam personae in se ipsam et in alias habitam, illis variis generibus ironiae in alias personas habitae 'χλευασμός' et 'διασυρμός' non illi opus fuit, alteri scholiastae vero, cum haberet ἀστεϊσμόν pro ironia in se ipsum, opus fuit. Cuius scholiastae vestigia his locis Menandreis, ubi ironia in alios est, in aperto sunt:

Ad. 783. Edepol commessatorem haud sane commodum — *facete τῷ χλευασμῷ . . .*

Ad. 954. 1. Hanc maculam nos decet effugere — *'maculam'* † τῷ χλευασμῷ (coniectura Stephani probanda) *dicit irridens opinionem Micionis, quia parsimoniam maculam putet.*

Ad. 427. Pro mea sapienta — *† διασυρτικῶς sapientia dixit...* Illudit his verbis servus Syrus senem Demeam, cum tota servi oratio (419—432) sit *arguta imitatio ad deridendum Demeam omnium, quae ille serio supra dixerat* (Don. 424).

Atque aliud genus ironiae non invenimus nisi in Menandri fabularum commento, dico ἐπιτροπήν (cf. Herodianum Rh. Gr. III. 98. 21 Sp.; Volkmann Rh.[2] p. 501):

Ad. 991. 3. Facite, quod vobis libet — *haec ἐπιτροπή est figura, qua invitos nos permittere ostendimus quod nolumus fieri.*

[1]) Dziatzko-Hauler. Phormio[3] ad. vs. 151.

cf. Ad. 134. 1. Profundat, perdat — *ἐπιτροπή figura* (cf. Don. Ad. 134. 2. 132).

Nunciam retractemus ea, quae de Donato collegimus:

Adnotata rhetorica sive grammatica in commento fabularum et Apollodori et Menandri sunt: Donatus igitur homo grammaticorum et rhetorum studiis [1]) imbutus est. Aesthetica vero scholia in fabulis Apollodoreis desiderantur, in Menandreis occurrunt. Hic autem interpres aestheticus se praestat maxime scientem et rerum et literarum Atheniensium, quippe qui vel voces et vocabula Graeca (velut Aristophanis) ad explicandum adhibeat. Neque solum haec scholia spirant animum scholiorum Graecorum, sed etiam illa alia aesthetica iudicia disciplinam Graecam redolere statuimus atque probavimus. Quae cum ita sint, hunc scholiastam ad fabulas Menandreas aestheticum esse scholiastam Graecum Menandreum conicere non possumus, sed debemus. Neque enim miramur ad Menandri, non item ad Apollodori comoedias, scholiastam Graecum exstitisse: antiquis iam temporibus Menander nuncupatur *'ἄστρον τῆς νέας κωμῳδίας'* (schol. Dion. Thrac. in com. Graec. frgm. ed. Kaibel I p. 15), atque Aristophanes Byzantinus, quem auctorem esse scholiorum aestheticorum ad Sophoclem et Euripidem a nobis cum Donatianis saepe collatorum censet Trendelenburg (l. l. p. 53. 69), Menandrum cum Homero aequavisse dicitur Inscr. It. et Sic. 1183 K. = Epigr. Graec. 1085. 9:

Οὐ φαύλως ἔστησα κατ' ὀφθαλμούς σε, Μένανδρε
τῇσδέ γ' Ὁμηρείης, φίλτατέ μοι, κεφαλῆς
ἀλλά σε δεύτερα ἔταξε σοφὸς κρείνειν μετ' ἐκεῖνον
γραμματικὸς κλεινὸς πρόσθεν Ἀριστοφάνης.

At Apollodorus non tanti aestimatus est neque de scholiasta Apollodoreo quicquam cognovimus. Illa Menandrea vero scholia fuisse non coniectura hariolamur, immo exstitisse quaedam (Timachidis) accepimus.

---

[1]) Cf. testimonia 8 et 9 (ed. Wessneri I praef. p. VII): *grammatici urbis Romae — oratoris urbis Romae.*

Sed haec aesthetica 'Donatiana'[1]) ex scholiis Menandreis ducta esse, cum veri specie ostendisse mihi videar, tamen non probavimus neque demonstravimus. Hoc ut assequamur, quaestionem de Donato institutam cum studiis nonnullis Terentianis vel Menandreis coniungamus. Nam cum Terentius non semper Menandreae fabulae scaenas amplexus sit, scholiastam illum aestheticum, si quidem est Menandreus, non aeque exstare suspicandum est. Aggrediamur igitur illas quaestiones Donatianas cum Menandreis coniunctas ab Andria fabula incepturi.

ANDRIA.

Andriam fabulam esse 'contaminatam'[2]) constat, nam Terentius (Andr. prol. 13. 14.)

> quae convenere, in Andriam ex Perinthia
> fatetur transtulisse atque usum pro suis.

Iam igitur in prima scaena nobis perspicua est opera et ars Terenti. Andriae enim Graecae expositio per senis soliloquium, Perinthiae per senis et uxoris dialogum facta est (cf. Don. Andr. 14), sed haec (Don. Andr. 10. 1.) *prima scaena Perinthiae fere isdem verbis quibus Andria scripta est.* His Donati adnotatis fidem non abrogandam esse[3]) et Terenti scaenam I. 1 exceptis eis locis, qui attinent ad Sosiam servum, quam personam Terentius 'extrinsecus assumpsit', eandem ac

---

[1]) 'Donatiana' cum dico, non affirmo Donatum ipsum interpretem Graecum expilasse, sed auctorem quendam Donati id munus suscepisse censeo atque eum Asprum fuisse mihi persuasi.

[2]) De vocabulo 'contaminandi' praeter alios disserit Kauerus (Dziatzko-Kauer Adelphoe[2] Lipsiae 1903 p. 7 adn. 1).

[3]) Utrumque adnotatum Donatianum esse Dziatzko („Die Andria des Menander" mus. Rh. XXXI. 1876 p. 249) rectissime contra Guilelmum Ihne, 'Quaestiones Terentianae' diss. Bonnae 1843 p. 11. 12) W. H. Grauerto (Historische und philologische Analekten, Münster 1833. „Über das Kontaminieren der lateinischen Komiker" p. 175) se applicans contendit. (Dziatzkoni assentitur Fr. Kampe, „Die Lustspiele des Terenz und ihre griechischen Originale", Halberstadt 1884 p. 7).

Menandream esse nonnullos viros doctos [1]) secuti censemus. Sed iam ad Donatum aggrediamur. Aestheticus scholiasta ad initium huius Terentianae scaenae scribit (28. 1.): *in hac scaena haec virtus est, ut ⟨in⟩ argumenti narratione actio scaenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit ac senilis oratio.*

Haec 'actio scaenica' autém inest in iussu senis (vs. 28):

Vos istaec intro auferte, abite!

Nam tale initium cepisse soliloquia senum etiam in Adelphis (vs. 26) cognoscimus:

Storax! non rediit hac nocte a cena Aeschinus.

Ergo de scaenae principio, quod etiam apud Menandrum fuisse coniciam, scholiasta recte verba facit, nihil loquitur de persona Sosiae (de 'persona protatica' postremum schol. 28. 6.), quae non est Menandri, sed de 'sermone longo ac senili' sumpto ex Andria Menandrea. [2]) Huius 'sermo senilis' incipit a versu 46 et Terenti additamenta, quibus omnibus facile careas, cognoscimus: vs. 54 Itast (cf. Don. 54. 3). 73. Ei, vereor ne quid Andria adportet mali cf. 105. 106: Oh, factum bene! beasti: metui a Chryside, et 127 Quam timeo quorsum evadas — 86. Teneo 103. Quid igitur obstat, quor non fiant? 116. Hem, quid id est! 119. bona fortasse? 137. Quid ais? 149. non tu ibi gnatum? 163. Qua propter?

At longiorum sententiarum, quas Sosia profert, maiorem partem in Andria Menandrea senis fuisse putaverim; nam Graecum illud senis soliloquium ita optime restituas, ut huic sententias Sosiae reddas. [3]) Neque enim duabus Terentianis personis ita iunctis offendimus. Conferas quaeso (praeter vss. 67 + 68; 142 + 143; 154) vss. 58 sqq. hoc modo coniunctos:

---

[1]) W. H. Grauert l. l. p. 175; K. Braun, 'Quaestiones Terentianae', diss. Gottingae 1877 p. 7—9; C. Dziatzko l. l. p. 244 et 249.

[2]) Fl. Nencini, 'De Terentio eiusque fontibus' Liburni 1891 p. 27 pro certo habet vss. 42—127 e sola Perinthia accessisse. Sed hos versus Andriae et Perinthiae communes fuisse Donati verba 10. 1 docere nobis videntur, cf. supra adn. 3 p. 38.

[3]) Gratissimo animo profiteor his locis de illa re, quo modo Terentius Menandri fabulis pro suis usus sit, permulta me debere J. Geffckenio, qui commentariola sua de Menandro manu scripta mihi permisit.

(horum) nihil ille egregie praeter cetera
studebat et tamen omnia haec mediocriter.
gaudebam. non iniuria: nam id arbitror
(61) adprime in vita esse utile, ut nequid nimis.
sic vita erat: ....

Donatus autem (schol. 2) ad verba 'nequid nimis' versus 61, quae apud Terentium Sosia dicit, hoc docet:

.... *et non refertur ad personam domini dicentis* (ita codices), *sed de quo dicitur.* Qua in ultima parte scholii commentator affirmat: hanc sententiam non referendam[1]) esse ad personam 'domini dicentis', sed ad personam ⟨eius⟩, de quo dicatur; etenim illud vitae praeceptum minus in ore est (ad 'referendam' cf. Don. Hec. 153. 1) senis quam Pamphili, cuius indolem dominus effingit ita ut sit: 'adulescens nihil egregie praeter cetera studens docere videtur 'ne quid nimis.' Hoc autem scholium cum parte priore eius, quod nunc legimus, prave conglutinatum per saecula servatum est, donec viri docti in textum 'modo' pro 'domini', 'quotidie' pro 'de quo' falso receperunt; iniuria illi quidem, amoverunt enim difficultatem non tam amovendam quam explicandam, quae inde nascitur, quod Terentii versus non recte enarratur a Donato, nisi Simo *dominus* Terentianus *dicat* hanc sententiam sicut senex Menandreus.

Post hunc dialogum Terentianum recentiores editores fabularum Fleckeisenium secuti a. vs. 172 principium actus II statuunt; dicit enim Simo Terentianus vs. 171 Sosiae: 'eamus nunciam intro, i prae, sequar'. Nisi in Terenti fabula hoc loco actum concludimus, sequi non potest senex, nam post scaenam 2 primi actus, ut vulgo dividitur,[2]) propter I. 5 (vulgo) necesse est, ut senex eat ad forum[3]) et Pamphilum de nuptiis certiorem faciat.[4]) In Menandri autem fabula senex versum 171, quem

---

[1]) Id est: non ἠθοποιεῖσθαι Simonem dominum, quippe qui hanc sententiam proferat.

[2]) Cum Wessnerus vulgarem numerum scaenarum in Donati commento obtinuerit, sequor eum, ne animum lectoris impediam.

[3]) De hac re non recte iudicavit C. Meißner, 'Andria', Bernburg 1876 p. 30, 42, 47 (ad vss. 28, 172, 206).

[4]) Neque enim fecit ante I. 1 cf. vs. 155 sqq., sed post scaenam I. 2 cf. Ter. Andr. 227, 253.

Terentius instituit, ut Sosiae personam a se fictam amoveret, non dixit, sed (usqua ad vs. 167) de Davo servo et de timore servi nuntio nuptiarum perterriti (172—175) locutus est; itaque spectatoribus 'insinuatur' Davus, qui inducitur in scaena subsequente I. 2: eodem autem modo in Menandri Adelphis Micio fratrem Demeam commendat et *κατ' οἰκονομίαν supervenit de quo sermo est, ut factis dicta ostendantur* (Don. Ad. 78. 1). Apud Men. Andr. I. 2 igitur *non recessit de loco senex; 'sensi'* (Ter. vs. 173) *ergo: antequam cum Sosia loqui coepisset* (id est ante scaenam I. 1). Ergo de Menandri Andria idem statuendum est, quod hic scholiasta ('Donatus' Andr. 173. 2) statuit de Terentio: timorem Davi senex ante soliloquium sensit.

In scaena I. 2 (Menandri I. 2) Terentius Menandrum[1]) sequitur (Dziatzko l. l. p. 244); ad quam scholiasta ille scaenicus adnodat: Don. 175. 1 *hic locus est, in quo Davus insinuatur spectatoribus multa gesturus* (cf. Don. 172. 2, alter scholiasta 172. 1 est idem ac Ph. 50. 3). Senex postquam Davum admonuit, ne nuptias filii[2]) turbaret, ad forum abit; tum in scaena I. 3 (Menandri[3]) et Terenti) *brevis et comica deliberatio est magna exspectatione populum rerum imminentium commotura,*[4]) *aestuantis Davi consideratione proposita* (schol. Andr. 206. 1). Atque idem scholiasta aestheticus vel scaenicus occurrit:

---

[1]) Cf. Don. Andr. 204. 4—6 = Men. frag. 38 Kock. Sed cum quaerentibus de fabulis contaminatis Terenti summa cautione opus sit in afferendis fragmentis et maxime in eis, quae vulgarem sententiam praebent, fundamentum disputationi nostrae fragmenta non substruimus nisi ea, quae ex certa quadam fabula Menandrea, cuius nomen non ignoramus, sunt hausta.

[2]) Expositionem Terenti non laudamus (ut A. Spengel, Andria², Berolini 1888 p. XVIII, G. Regel, „Terenz im Verhältnis zu seinen griechischen Originalen", Progr. Wetzlar 1884 p. 4); nam id quod Simo in prima scaena Sosiae maxime mandaverat de Davo (v. 168), in scaena I. 2 ipse repetit, ut post scaenam I. 2 scaena I. 1 paene supervacua videatur, cum nihil novi afferat. Quam in vituperationem scaena I. 2 Menandri post soliloquium Simonis non incurrit.

[3]) Ne fragmentum 48 K. non pertineat ad vs. 218 vereor. Puto hoc loco Menandrum *παρονομασίας* figuram adhibuisse, quam imitatur Terentius, praeterea cf. C. Dziatzko l. l. p. 241.

[4]) Recte confertur hoc schol. ad Soph. Ai. vs. 6: — *προσοχὴν δὲ ἐργάζεται τῷ ἀκροατῇ περὶ τῶν δηλωθησομένων.*

Andr. 206. 2 *persona aut ab altero commendatur aut se ipsam populo commendat aut et ab altero commendatur*[1]) *et a se ipsa, ut hic et Davi et per Simonem supra descripta est, ubi dixit 'mala mens m. a'. et hic per se, dum hoc gestu et sermone agit ac disputat secum.*

Idem adnotatur ad multos alios locos eosque Menandreos. Sed longior ne sim, conferri velim dissertationem H. Steinmanni, qui p. 30—32 omnes locos collegit. Neque plura verba nobis sunt facienda de illo huius scaenae Menandreae interprete 'Graeco' Don. Andr. 219. 1 et 226. 4, de quo supra p. 27 diximus.

Atque ab eodem in scaena insequente (I. 4) Menandrea,[2]) in qua Mysis ancilla, postquam Davus Pamphili conveniendi causa in forum abiit, inducitur, ars *οἰκονομίας* illustratur Don. 228. 1 (cf. supra p. 19).

Mysis in hac scaena I. 4 insinuat Pamphilum, personam scaenae insequentis I. 5 (Menandreae I. 5) in qua (schol. scaen. 236. 1) *inducitur adulescentis animus circa nuptias, ut ex magnitudine metus ingens gaudium comparetur in fine fabulae cognita Glycerio. et simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti.*

A scaena I. 5 finis actus I Terentiani statutus est et iam animus currit ad scaenam II. 1.

De qua varias viri docti moverunt quaestiones. Adnotat enim Donatus (301. 1): *in hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae, si quidem Andria ex duorum adulescentium periculis gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius et unius comoediam adulescentis effecerit.*

Haec autem scaena in Andria Men. non est; nam (Don. 301. 2) *has personas* (scil. Charinum et Byrriam) *Terentius addidit fabulae,*

---

[1]) Persona nova spectatoribus 'commendatur' vel 'insinuatur', qui eam non cognoverunt: cf. Don. Andr. 175. 1, 35. 1; Eun. 539. 1; Ad. 288. 3; Ph. 35. 3, 50. 3, 102. 2 al. Sine hac exceptione non assentimur H. Steinmannio l. l. p. 31 adn. haec scribenti: 'vides idem significari verbis propriis 'insinuare' vel 'commendare' atque verbo generali 'describere' neque esse diversa haec vocabula ab ipsius disciplinae vocabulis *χαρακτηρίζειν* et *ἠθοποιεῖν*.'

[2]) Scaenam esse Andriae Menandreae Fl. Nencini l. l. p. 38 Ihnio adstipulatus contra Grauertum contendit.

cf. Don. Andr. 977: *quia et audacter et artificiosissime binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est, — et id extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat*[1] — .... Quaerentibus autem nobis, qui ad hanc scaenam non Menandream noster ille sit scholiasta, obviam se dat in universum tantum adnotans duos amatores a Terentio fingi, de scaena vero universa et conexu, qui sit in fabula, haud perinde atque aliis locis Menandreis nobis exponit. Neque haec quidem verba Donati esse, sed originem ab Euanthio ducere recte contendit Ed. Scheidemantel l. l. p. 58.[2]

In Andria Graeca (II. 1) canticum esse Pamphili aestuantis et Glycerium umquam a se relictum iri negantis cum quibusdam viris doctis[3] censeo. Post hoc autem Pamphili breve soliloquium in scaena II. 2[4] (Menandri II. 2) Davus servus accurrit,

---

[1]) Cum 'Donatus' vel eius auctor in 'contaminata' comoedia Terentiana, quam cum origine Graeca comparabat, ex duabus, quae sunt a poeta Latino expilatae, alteram modo fabulam respexerit (cf. C. Dziatzko mus. Rh. XXXI p. 248; G. Ihne l. l. p. 13), accurate non perscrutamur, utrum sint personae ex Perinthia Menandrea translatae (sic iudicaverunt: C. Dziatzko l. l. p. 249; K. Braun l. l. p. 9—13; G. Regel l. l. p. 2 adn. 7; G. Ihne l. l. p. 5 sqq.; W. S. Teuffel, Studien und Charakteristiken zur griechischen und römischen Literaturgeschichte, 2. Aufl. Leipzig 1889 p. 353) an a poeta Terentio sint additae (W. H. Grauert l. l. p. 192 sqq.; Andreas Spengel, Andria[2] 1888 p. XIII; Fl. Nencini l. l. p. 32 et 36; H. R. Fairclough, Andria[2], Boston and Chicago 1904 praef. p. XLV), sed hoc tenemus: scaenam cum his personis non esse in Andria Graeca.

[2]) Item schol. 301. 2, qui dicit additas esse personas, *ne παθητικόν fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso* .... Sed quid plura de hoc scholiasta! Cf. eundem Phorm. 750. 2 (ἀπαθῶς).

[3]) Cf. G. Regel l. l. p. 4—5; C. Dziatzko l. l. p. 244—245. Quibus temere non accedo, monuit enim Fr. Leo 'D. M. i. Dr.' p. 53 sqq. *μέρη* novae comoediae plerumque a soliloquio incipere, sed in Andria Menandrea propter contaminationem Terenti non elucere quae esset res. Quodsi recte secernimus scaenas a Terentio extrinsecus additas, in Andria quoque Menandrea hoc praeceptum a Leone detectum valet: I. vs. 28 sol. Simonis — II. vs. 172 (ut vulgo dividitur, sed. cf. quod supra diximus) sol. Pamphili — III. (scaena IV. 1 Terenti) vs. 625 sol. Pamphili. — IV. vs. 820 dialogus senum, qui *orationem in scaenam deferunt.*

[4]) De versu Ter. Andr. 368 et Athenaeo VII. 301 b (= Men. frg. 398 K.) cf. A. Spengel, „Über die Komposition der Andria des Terenz" (Sitzb. d. B.

ut nuntiet nuptias non veras, sed simulatas esse. In Andria Menandri igitur, cum Charinus sit Terenti persona, dialogus[1]) fit inter Davum et Pamphilum. Hic autem de nuptiis certior factus (usque ad vs. 369) miratur et quaerit in eadem scaena Menandrea II. 2: 'quid igitur sibi volt pater? quor simulat?' Nam in fabula Graeca scaenas Terenti II. 2 + II. 3 scaenam esse unam luce clarius est, cum non, ut apud Terentium, Charino egresso nova ordiri potuerit (cf. Dziatzkonem l. l. p. 245).

Sed iam revertamur ad Donati commentum! Scholiasta aestheticus in principio scaenae II. 2 explicat (338. 1.): *haec scaena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum* . . .

Quod consilium poeta sequitur in hac scaena? Davi narratio eam explet usque ad vs. 369. Tribus autem versibus extremis Charinus, nimirum ut amoveatur, 'senis amicos orare' iubetur. Num hoc consilium hac scaena continetur? Minime quidem; nullo enim loco fabulae efficitur! Num ad Davum aut Charinum *maxime pertinet argumentum*?! Re vera in scaena II. 3 Terenti personae consiliantur! Quaerit enim Pamphilus vs. 375: 'quor simulat?' et narrat Davus consilium patris et vs. 383, postquam interrogavit Pamphilus: 'Quid faciam?' Davus Pamphilo dat consilium ne patri adversetur. Scaena II. 3 igitur *continet consilium personarum, ad quas maxime pertinet argumentum.* Verba scholiastae scaenici non ad scaenam II. 2 Terenti quadrant, sed ad scaenam II. 2 et II. 3 vel, ut apertius id, quod sentio, dicam, ad scaenam II. 2 Menandri. Qua de scaena perinde atque ad ceteras illas Menandreas disserit scholiasta aestheticus;

Akademie d. Wiss., phil.-hist. Kl., München 1873 p. 614), cui assentitur Fl. Nencini l. l. p. 35 contra G. Ihne l. l. p. 15 et C. Dziatzko l. l. p. 250.

[1]) Hoc loco iterum in officinam quasi Terenti inspicere licet — nam ut in scaena I. 1 (cf. supra) Terentius Simonis Menandrei verba Davo tribuit, sic haec Charini potius esse Pamphili Menandrei censeo: Ter. vs. 340 Laetus est nescio quid — nondum haec rescivit mala — vs. 342. Char. Audin tu illum? — Pamph. Quid ego audio? (cf. Andr. 465, 592, Menander: τί ποτ' ἀκούσομαι;) 343. Char. cessas adloqui? — Pamph. cesso adloqui? cf. Ter. Andr. 845; 363. Pamphilus recte dicis! perge!

ineunte vero scaena II. 3 Terenti, unde in Menandri fabula non erat principium scaenae, scholiastam aestheticum non minus quam in omnibus fere scaenarum initiis fabularum Terenti, quae e Menandro non conversae sunt, desideramus. Sed in Donati codicibus Terentianis etiam Charino Byrriaque exeuntibus novam scaenam coeptam esse docet scholiasta rhetoricus: Don. Andr. 375. 1. *haec scaena [deliberationem] continet Davi et Pamphili.* [1])

Eadem res atque in scaenis II. 2 et II. 3 occurrit in scaenis II. 4 et II. 5. [2]) Nam cum in vs. 412 Byrria, persona Terenti, inducatur, apud Terentium nova scaena per novam personam incipit; in Menandri autem fabula scaenae II. 4 et 5 coniunctae erant (cf. Dz. l. l. p. 245). In scaena porro II. 4 Davus Pamphilum denuo adhortatur, ut illud consilium sequatur, cui Pamphilus II. 5 obtemperat. Quid autem Donatus ad II. 4 Terenti (440. 1) adscribit? *Haec,* inquit, *scaena nodum innectit erroris fabulae et periculum comicum; facit etiam exsecutionem consiliorum* (cf. 338. 1!). Quod argumentum septem versibus 404—411 non continetur, sed scaenis II. 4 et II. 5 vel, ut apertius loquar, verba Donati ad scaenam Menandream (II. 3) quadrant. In scaena II. 5, cum hoc non Graecae initium sit, ille scholiasta scaenicus deest, sed vestigia Euanthii (Don. Andr. 412. 1 et 3) subesse G. Scheidemantel l. l. p. 55 demonstravit.

Quid igitur? Scholiasta aestheticus ex fonte, qui aeque fluxit in his Terenti fabulis Menandreis, non hausit; nam quotiens Terenti non Menandri erant scaenae, nullum scholium exhibet. Accedit quod non semel scaena Menandrea, non Terentiana, explicatur. Quae cum ita sint, nulla dubitatio videtur esse, quin noster scholiasta scaenicus sit Menandreus Graecus.

---

[1]) De hoc scholiasta 'deliberationem' adnotante cf. supra p. 8.

[2]) De Ter. versibus Andriae 426 (et 640) cum Euripideis collatis recte G. Regel (l. l. p. 5) assentitur Grauerto (l. l. p. 195 sqq.) et Dziatzkoni (l. l. p. 250) contra Meinekium (Menandri et Philemonis reliquiae Berolini 1823 p. 22 sqq.) et Ihnium (l. l. p. 14). — De Donati Andr. 406. (fr. 39 K.) cf. Dziatzkonem l. l. p. 245.

Sed scholia, quae 'Menandrea' diximus, cognoscere pergamus.

De scaena II. 6 Terentiana (Men. II. 4), cuius personae Pamphilo vs. 425 domum ingresso Davus et Simo sunt, interpres scaenicus sic agit (Don. 432. 1): *haec scaena dolos continet utriusque personae, quibus utraque et capit et capitur miro modo.*

Sed cum de hoc quem audivimus scholiasta, tum de tota scaena Terentiana scrupuli quidam me premunt. Quaerit enim Simo e servo (438), num Pamphilo nuptiae molestae sint. Respondet in fabula Terenti servus: 'nihil hercle', quam superlationem et traiectionem statim corrigit ipse: 'biduist aut tridui haec sollicitudo, deinde desinet'. Nihilo minus senex quaestionem repetit: 'subtristis visust esse aliquantillum mihi' (vs. 447). Non intellexeris, quare hanc sollicitudinem et tristitiam miretur is pater, qui a poeta tam iustus existimator morum filii fictus est (scaena I. 1)! Cur autem (Don. Andr. 449. 1) *apparet Davum nunc quaerere, quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animo advertit senex*? Davus ille quidem Terentianus hoc loco de respondendo dubitare non potest, dixit enim seni: bidui aut tridui esse sollicitudinem, sed filium optimum patri obsequi et animum ad uxorem adpellere; seni post vs. 447 respondere poterat: quid mirum? quod tristis est! Longa 'consuetudo' cum peregrina illa ei ex animo eicienda est. Quae quidem Donato auctore respondere non potest. Haec autem quaestio solvitur, cum percurrimus fabulam usque ad scaenam III. 3. Simo Chremeti vs. 552 narrat: 'irae sunt inter Glycerium et gnatum' et vs. 576: 'ipsus mihi Davus, qui intumust eorum consiliis, dixit'. Numquam adhuc in Terentiana fabula harum inter Pamphilum et Glycerium invidiarum mentio fit: an mentitur Simo senex? At mendacium a senis indole omnino abhorrere censendum est. Quid vero de versu 597, ubi Simo dicit Davo servo: 'potes nunc, dum animus irritatus est' (cf. vs. 591), iudicabimus! Itaque, cum hoc loco Davo 'animus irritatus' Pamphili (scil. rixa cum Glycerio) compertus esset, Simo non mentitus est. Unde tu Simonem et Davum cognitionem illarum discordiarum habere putas, quas

spectatores ignorant? Quod ut solvamus, iam revertamur ad scaenam II. 6, unde egressi sumus. Habemus in scholio modo exscripto (449. 1) verba *aversa suspicione*; quam autem suspicionem Davus Terentianus avertit usque ad vs. 449? Senex credit 'aliquam sibi fallaciam portari' et eam in nuptiis a Pamphilo non recusatis. Haec igitur suspicio servo est in principio scaenae II. 6 avertenda et avertit in scaena Menandrea *simulata discordia* (Pamphili) *cum amica* (Don. Andr. 598. 7). Qua discordia simulata deceptus iure miratur pater, cur filius subtristis de nuptiis sit, et (Don. 449. 1) *apparet Davum nunc quaerere, quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili* . . .! Haec igitur verba scholiastae non tam Terentianam quam Menandream fabulam explicant. Eundem autem Menandri scholiastam legimus Don. Andr. 598. 7: *Caute servus callidam interrogationem senis paratus excepit: memor simulatae discordiae cum amica fingit* . . . (cf. Don. Andr. 819). Simulata igitur illa apud Menandrum discordia 'capit servus senem, sed ipse capitur', prodit enim se cognovisse nuptias non esse veras; in fabula igitur Menandrea reapse *utraque* (persona) *et capit et capitur miro modo*, ut dicit scholiasta 'Graecus' (432. 1), qui etiam illud *πρέπον* et *πιθανόν* (Don. 447. 2) adnotat (cf. supra p. 23).

Ergo discordare inter se Pamphilum et Glycerium ero persuasum est, nec non pulchritudo scaenae proximae (III. 1) eo crescit, quod haud multum abest, quin dolus servi detegatur. Haec autem scaena utpote de Menandro (II. 5) ducta[1]) a scholiasta scaenico, qui de *οἰκονομίᾳ* disserit Andr. 459. 1 (cf. supra p. 22) recte explicatur neque minus illa insequens III. 2[2]), ad quam habemus haec:

Don. Andr. 481. 1 *specta in hac scaena, quam scite expressa sit consuetudo medici vel medicae egredientis ex aegri domo: nam*

---

[1]) Don. Andr. 473. 6 = Men. frg. 40 K. Cf. Dziatzkonem l. l. p. 245.

[2]) Menandri II. 6; Don. 483. 1. 3 = frg. 41 K. (Dziatzko l. l. 245.). De frg. Menandreo 42 K. cum vss. 483, 484 conferendo cf. Grauertum l. l. 181 (Dziatzkonem l. l. 238).

veniens de negotiis eius loquitur, abiens de morbo. et haec sunt praeter οἰκονομίαν quae dicuntur εὑρήματα.

Poetam autem εὑρετικῶς, i. e. *per inventionem, ad οἰκονομίαν facetiae aliquid addere* commentator iam ad scaenam I. 4 (228. 1) adscripsit (cf. supra p. 19), prorsus eadem scholiasta locorum non Menandreorum, quippe qui de hac re per scholiastam fabularum priorum doctus sit;[1]) cf. Don. Hec. 415. 1,[2]) Ph. 346. 1 Ad. 938. 1.

Sed hoc scholio verba de εὑρήματι scaenae III. 2, i. e. de sermone Lesbiae fiunt, de colloquio verum eiusdem scaenae Terentianae inter Simonem et Davum facto idcirco nihil adnotavisse scholiasta mihi videtur, quia id non in eadem scaena Graeca, sed in insequente (Men. II. 8) demum fuit. Ex fragmento enim Menandreo 42 K. elucet Terentium praescripta meretricis, quae expleverunt scaenam aliquanto longiorem, sic in brevius contraxisse, ut ex duabus Menandreis exsisteret una Latina. Facile autem fieri potuit, ut scholion posteriori scaenae Menandreae appositum non inreperet in Donati commentum, ubi a versu 489 scaena orsa non est.

Maxime autem delectamur hac scaena Menandrea: Davus dominum quamvis suspiciosum fallit et praedicit filium Pamphili falsum ad ostium positum iri. Quod cur fiat multo melius intellegimus, si senex inducitur ratus Pamphilum et Glycerium discordare inter se (cf. supra II. 6) et Glycerium Pamphilo aliam uxorem ducturo iratam id agere, ut nuptiae removeantur. Si igitur consilium bene succedit Davo, revera nuptiae Pamphili 'sine periculo Pamphili et Davi' tolluntur. Eandem discordiam a servo apud Menandrum simulatam, a Terentio in scaena II. 6 praetermissam

---

[1]) Non miramur, quod in hac re 'Donatus' docilem discipulum scholiastae Graeci se praestat, cum sit 'εὕρεσις' ('inventio') una pars ex tribus disciplinae oratoriae; cf. Volkm. Rh.[2] p. 28 sqq.

[2]) Scilicet haec dicuntur Hec. 415. 1: *alia ratio est currentis ad argumenta, alia actuum comicorum; sed perfecti poetae est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. nam in hac scaena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα inducitur, cum ostenditur, quid mali sit navigatio.*

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

cognoscimus[1]) in scaena III. 3, quam Menandream (II. 9) esse haec interpretis scaenici verba videntur demonstrare:

Don. 533. 1 *haec congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed eventu posse vitari: qui eventus est Critonis praesentia, nam nunc ex falsis fient verae nuptiae* (cf. 533. 5).

Item irae amantium in scaena III. 4 (II. 10 Men.)[2]) mentio fit. Chremes enim, cui Glycerium et Pamphilum inter se dissidere persuasum est, domum it, ut adparet nuptias. Simo autem quaerit ex servo 'ubi nunc est ipsus (sc. Pamphilus)?' et (Don. 598. 7) *caute servus callidam interrogationem senis paratus excepit: memor simulatae discordiae cum amica fingit non se eum alibi esse suspicari quam domi.* Legimus igitur scholiastam Menandri, qui Simonem a servo deceptum esse scit. Etiam scholium scaenicum ad scaenam III. 4, quam Menandream esse scholiasta (598. 7) iam laudatus probare mihi videtur, legitur (Don. 580. 2): *hic locus est, in quo iam ad discrimen mali perducta comoedia in meliorem partem iam incipit inclinare.* Immo malum augeri non potest: per dolum Davi nuptiae Pamphilo effectae sunt, qui III. 5 (II. 11 Men.)[3]) invehitur in 'scelus', nam hanc scaenam, *cuius perturbationis esse debeat, iam supra praestruxit poeta,*[4]) *cum ad consentiendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret* (Don. Andr. 607. 1).[5])

---

[1]) Cf. Ter. vss. 552. 557. 575. 577.

[2]) Don. Andr. 592. 1 = Men. frg. 43 K.

[3]) Cf. Don. Andr. 611. 3 = Men. frg. 44 K.

[4]) Observandum est scholiastam aestheticum — sicut scholiastas Graecos plurimis locis — verba facere de poeta (*ποιητής* . . .). Ut autem in scholiis Graecis tragicis non desunt loci, quibus nominatur *Σοφοκλῆς* et *Εὐριπίδης*, ita in Menandreis non defuerunt, ubi de 'Menandro' dicitur. Ergo facile fieri potuit, ut commentator Latinus tales locos vertens pro 'Menandro' posuit 'Terentium'; hunc igitur laudavit, ubi ille erat laudandus (atque saepe iudicia de scriptoribus Graecis in Romanos defluxisse docet P. Rabbow l. l. p. 317 sqq.). Viri docti autem nonnumquam in errorem perducti sunt, cum propter illud 'Terentius' . . ., quod in commento Donatiano legebant, aliquid Menandreum a Terentio esse commutatum ideoque verba fieri de 'Terentio' iudicarent.

[5]) Cf. eundem scholiastam qui de hac iracundia Pamphili artem *οἰκονομίας* adnotat Don. Andr. 399. 3 et 623.

IV. 1. Pamphilus et Davus abeunt, scaena vacua est. Incipit novus actus IV. 1 (III. 1 Menandri). Primum Charinus, tum Pamphilus et Davus prodeunt. Cum personam Charini a Terentio extrinsecus esse assumptam constet (cf. supra p. 42 sq.), haec scaena maiore ex parte Terentiana est; in qua partem dialogi[1]) Menandrei, quem habent Davus et Pamphilus, in vss. 665—683 latere cum Braunio (l. l. p. 9) censuerim. Quid autem de tota scaena Terentiana scholiasta in principio scribit: (Don. 625. 1) *elegans perturbatio, in qua inter se Simo, Davus, Pamphilus, Charinus, Byrria, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi.* Videmus igitur scholiastam Romanum rationem Graecam secutum dicere quid scaena contineatur, nec tamen officium susceptum sustinere posse. In scaena enim Terentiana primum Charinus Pamphilo, tum et Charinus et Pamphilus Davo, sed in nulla scaena Terentiana aut Menandrea sex illae personae (nec non Byrria) inter se offensae redduntur.

Post dialogum Menandreum (III. 1, aut soliloquium Pamphili III. 1 et dialogum Pamphili Davique III. 2) in scaena III. 3 Graeca (IV. 2 Terentiana) Mysis inducitur. *In hac scaena* (schol. 'Graecus' 684. 1) *instauratio est adhortationis Pamphili per Mysidem; opus est enim excitari rursus adulescentem, ne sub patris oppressione frangatur.* (Cf. 684. 2). Ergo hic scholiasta nihil loquitur de Charino, persona illa Terentiana, nihil de dialogo inter Charinum et Davum (vss. 708—715) a Terentio fabulae Menandreae addito, sed quae fuerit scaena Menandri explicat.

At quae adscribuntur scholia ad Terentianas scaenas easdemque Menandreas, ea iustum occupant locum:

Ad Ter. scaenam IV. 3 (Men. III. 4)[2]) Don. 716. 1: *haec scaena*

---

[1]) Vel rectius soliloquii Pamphili et tum Davi Pamphilum non videntis, deinde dialogi. Et in Terentiana scaena Davus demum vs. 665 loquitur. Cf. Dziatzkonem l. l. p. 246. Sed Davum Pamphilo consilium de puero ante fores ponendo dixisse non puto.

[2]) De Don. Andr. 726. 1 et 2 = frg. Men. 45 K. cf. Dziatzkonem l. l. p. 239 adn. 1.

administrationem doli habet, quo fit ut deterreatur Chremes filiam suam Pamphilo dare . . . [1]).

Ad scaenam IV. 4 Don. 740. 1: *adest ipse nunc Chremes, cuius causa scaena fraudibus instructa est, ne promissas compleat nuptias.*

Nec satis: alter etiam scholiasta scaenam IV. 4 ad verbum fere de Menandro translatam esse testatur, qui ad vss. 794 et 795:

paulum interesse censes ex animo omnia,
ut fert natura, facias an de industria?

haec adscribit (794. 3): *Haec sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit.*

Vox autem 'ἐπιδεικτικῶς' hoc uno loco obvia scholiastae Graeci mihi videtur esse, quam cum legisset commentator Romanus, inter Menandrum et Terentium aliquid interesse animadvertit. Donatus enim variis locis in pronominibus demonstrativis tantum illud 'δεικτικῶς' exhibet: 'hic' Andr. 30. 2, 125. 3, 237. 2, 333. 2, Ad. 163. 1; 'iste' Ad. 377. 1; 'tantillum' Ad. 563. 2; praeterea δεικτικῶς adscribitur ad 'tam': Ph.* 165. 4; Hec. 75 et 'sic': Eun. 602, Ad.* 454. 6.

Sed redeamus ad scholiastam aestheticum et Terenti scaenas proximas, quae quidem sunt Menandreae.

In scaena IV. 5 (Men. III. 6, cf. Don. 801) Critonis (Don. 796. 1) *persona ad catastropham machinata nunc loquitur, nam hic Crito nihil argumento debet nisi absolutionem erroris eius. simul ex verbis suis quam gravis quam modestus sit quamque iustus ostendit.*

Crito ad Glycerium ducitur, Davus sequitur, ut spectatores secundum consilium poetae in scaena V. 2 de ἀναγνωρισμῷ certiores faciat. Sed scholiasta, quem Graecum nostrum esse putaverim, aliud momentum esse censet; meminit enim simu-

---

[1]) Post soliloquium Mysidis in codd. Donatianis a vs. 722 nova scaena incipit, non item in Menandri fabula. 'Donatus' igitur omni contentione hoc de scaena plena suavitatis elaboravit: ***haec scaena actuosa est, magis enim in gestu quam in oratione est constituta.*** Tales autem nugas de scaena actuosa (stataria, motoria, al.) frustra in commento fabularum Menandrearum continuo quaesiveris, sed Donatus in 'praefationibus' (I 2) de hac re semper loquitur.

latae illius discordiae (Don. 819): *propter hoc videri non vult, ne eius utatur* (sc. senex Simo) *apud socerum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium, et rursus nuptiae confirmentur.*

Incipit a versu Ter. 820 novus actus. Cum autem scaena V. 1 atque item quae sequuntur totae sint Menandreae, semper scholia optima scaenica (ad scaenas Menandreas IV. 1. 2 etc.) leguntur haec: V 1. (Don. 820. 1). *haec scaena officiorum disceptationem continet patrum inter se de officio amicorum et paterna pietate tractantium* (cf. 820. 2 scholiastam rhetoricum!). V. 2. (Don. 842. 1). *haec scaena principium indicii et iracundiam senis continet, atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensi et indignantis.*

Nec non scaena V. 3, ubi perinde *exprimitur consuetudo patris offensi,* Menandrea est, nam uno tantum loco verba senis a Terentio in maius aucta sunt, (cf. Don. 891. 1).[1]) Quamquam autem praeter exspectationem nostram hoc loco scholiasta scaenicus non occurrit, tamen id mea quidem sententia minime mirum est, nam in fine fabulae semper animi scholiastarum commenta perficere properant.

Sed ad scaenam V. 4 (Menandri IV. 4) exsistit scholiasta ille aestheticus Don. 904. 1: *hic in scaenam progreditur Crito, in cuius verbis non modo quod ipse promittit, sed etiam quid ei Pamphilus dixerit, demonstratur. et hic omnino error omnis aperietur fabulae.* Cum hac scaena revera 'omnino error sit apertus', a verbis Pamphili: 'O faustum et felicem hunc diem' (956) fabulam Graecam finem capere [2]) neque necesse esse Davum, cum veniam ei Simo vs. 956 dederit, induci iudico.

T e r e n t i u s autem duabus ultimis scaenis V. 5 et V. 6 *alterum generum Chremeti comparat, ne aut Charinus tristis recedat aut non provisum videatur Philumenae* (Donatus 957. 1).[3])

---

[1]) De quo scholio: *mira gravitate sensus elatus est; nec de Menandro, sed proprium Terentii* cf. W. H. Grauert l. l. p. 185 sq.; Fr. Kampe l. l. p. 8—9. — De scholio 959. 3 ad Eun. III. 5 verba nobis sunt facienda.

[2]) Cf. Dziatzkonem l. l. p. 274; A. Spengel, Andr.[2] p. XXIV sq.

[3]) Quamquam in scaena V. 5 soliloquium Pamphili est, nam persona Charini non est 'admixta', tamen Donatus (957. 2) hic de 'colloquio' agit.

Conferas quae idem scholiasta de scaena non Menandrea exponit Don. Andr. 301. 1. 3.

Ad scaenam V. 6 Terentianam vero dicit scholiasta (965. 1): *in hoc actu mira arte ea, quae restant de comoedia, breviter explicantur et designantur duarum sororum binae nuptiae.*

Iam ad finem Andriae pervenimus: legimus in scaenarum Menandrearum commentario scholiastam Graecum dignum, qui Menandri fabulam illustret, ad has autem scaenas Terentianas V. 5 et 6 scholiastam Romanum tantum a Graeco abhorrentem quantum Terentius distat a Menandro poeta.

De Andria Terenti et Menandri paulo longiores fuimus. Agedum aliam fabulam Menandream cum scaena quadam Diphili fabulae contaminatam aggrediamur.

Adelphoe.

Iam de prima scaena Terentiana viri docti varias moverunt cogitationes. Atque Varronis quidem iudicium apud Suetonium (vita Terenti) habemus hoc: *nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri*, quibus verbis perducti viri docti aliquid Menandreum a Terentio mutatum esse opinati sunt. At multo cautius agendum nobis esse e Vahleni [1]) verbis collegerim, quippe qui usu 'nam' particulae perstricto unum esse sententiarum tenorem loci Suetoniani neque ante locum 'nam Adelphorum principium eqs.' partem interceptam esse demonstret caute sic summam sententiam explicans: 'nam de Adelphis Varronis etiam praeclarum laudis testimonium exstat'. Quam in verbis Varronis tractandis cautionem qui et ante et post Vahlenum neglexerunt viri docti, longe a vero aberraverunt; fugiunt enim nos rationes illae, e quibus Reatini iudicium est ortum. Sed cum longum sit argumenta doctorum [2]) percensere, breviter nobis liceat, quoniam de Donato

[1]) Ind. lect. hibern. Berol. 1883/84 p. 5 = Opuscula Academica I Lipsiae 1907 p. 215.

[2]) Sententiae C. F. Hermanni 'Disputatio d. P. Terenti Adelphis' Ind. lect. Acad. Marburg. 1838, qui scaenam primam Menandri fuisse dialogum inter Syrum et Micionem affirmat, refellendae supersedeo, cum adhiberi possint

agamus, exponere, qui sit status commentarii Donatiani in hac scaena I. 1 et quid inde sit concludendum.

Ad principium autem scaenae non deest scholiasta ille (Don. Ad. 26. 1), quem (cf. supra p. 26) bene scire res et fabulas Atheniensium ostendimus, nec non desideratur is, quem 'scaenicum' nominavimus. Adscripta sunt enim haec (Ad. 26. 2): *primae partes (sicut in prologo ipse promisit), a senibus aguntur, quorum contentione ad argumentum relata vita aspera cum leni et pater comis cum severissimo comparatur.* Hic scholiasta ostendit alterum patrem comem et alterum severum induci *ἕνεκα τοῦ διαποικίλλειν ταῖς ἀντιρρήσεσι τὰ δράματα* (cf. supra p. 16 et 23) atque recte totam scaenam amplectitur is interpres aestheticus (Graecus), qui obloquitur alteri (Romano) in praef. I 4 haec dicenti: *primae partes sunt ut quidam putant Demeae, ut quidam Syri* . . . — Accedit quod (Don. 43. 3)[1]) Menander laudatur atque in fine scaenae, cum Demea a fratre commendatus advenit, scholiasta, de quo supra (p. 21) locuti sumus, recte dicit (Don. 78. 1): *κατ' οἰκονομίαν supervenit* . . .

Itaque cum scholia Graeca legantur, hoc teneamus primam

arma Ihnii 'Quaestiones Terentianae' p. 31 sqq., Nencinii l. l. p. 129—130, Kaueri (Dziatzko-K.) Adelphoe² Lipsiae 1903 p. 11 sq. — Contra Fielitzium „Über Anfang und Ende der Menandrischen Adelphen" in Fleckeiseni ann. litt. antiqu. 1868 vol. 97 p. 675—682 conferas quaeso J. Klasen 'Quam rationem Terentius in contaminatis quae vocantur fabulis componendis secutus esse videatur. pars I quae Adelphos complectitur' Rheine 1884 p. 16, 17 et Fl. Nencini l. l. p. 130—132. Nencinius quoque Terentium mutavisse opinatus principium Menandreum tale esse vult (l. l. p. 132—134): I Syrus narrat raptionem puellae. II colloquium inter Syrum et Micionem. III Micionis soliloquium, sed recte contra eum Kauerus (Dziatzko-Kauer) Adelphoe² p. 12 adn. 2 et Schlee ann. phil. 93 p. 140 disseruerunt. Fr. Kampe „Über die Adelphen des Terenz" Burg 1902 p. 5 in principio fabulae Graecae, dialogum paucos versus continentem, quem habeant Storax et Micio, tum Micionis soliloquium fuisse suspicatur.

[1]) cf. Don. Ad. 43. 3. = Men. frg. 1 K. — De versibus Ad. 57. 58. et 72 sqq. et fragmentis Menandri ap. Stob. LXXXIII 12 et LXXXIII 5 (Men. frg. 663 K.) cf. Nencinium l. l. p. 136. De his tribus fragmentis cum versibus Terentianis collatis dubitat J. Klasen l. l. p. 12; sed iniuria (item G. Jhne l. l. 28) de Don. Ad. 43. 3. Cf. Fr. Kampe l. l. p. 4.

scaenam in universum Menandream in dubium vocandam non esse, quippe quae optima animum vere Graecum spiret. Primum enim μέρος secundum Leonis praeceptum a soliloquio incipit atque eo senis, nam (Don. Ad. 719. 1) *moris est secum loqui senes vel maxime aliquid ex animo agentes.* Deinde etiam scaenam I. 1 cum proxima arte coniunctam esse concedendum est. Ad eam quoque occurrit scholiasta noster scaenicus:

I. 2. (Don. 81. 1) *in hoc actu diversi homines, diversi patres, diversa studia proponuntur: hic lenis hic amarus, hic facetus hic impolitus, hic facilis hic pertinax et difficilis in delictis.* Praeter hoc, quod legitur scholion 'Graecum', scaenam Menandream esse scholiasta 81. 2 quoque demonstrare potest, qui de primis verbis Terenti (vs. 81) iudicat: *melius quam Menander, quod hic illum ad iurgium promptiorem quam resalutantem facit.* Ergo scaenam I. 2 esse Menandream iam e Donati commento elucet; de qua quidem omnes viri docti, qui de Terenti fontibus disseruerunt, consentirent, nisi sententiae de contaminatione scaenae insequentis II. 1 ab eis prolatae sic probandae esset: locos Menandreos etiam in actu I a Terentio esse mutatos. Aggrediamur igitur ad quaestiones de scaena II. 1 habendas.

II 1. Adnotat scholiasta 'Graecus' (Don. Ad. 155. 2) *hic exemplum est contumeliosi per potentiam divitis et in perniciem suam pauperis contumacis.* — Estne hoc argumentum scaenae Terentianae? In qua quidem Aeschinus raptam meretricem Sannione vehementer populares obsecrante domum ducit, tum Parmeno mulcat lenonem. De meretrice autem, quae in scaenam ducitur, et de Parmenone servo, qui lenonem pugnis nimis aspere tractat, nihil dicit scholiasta qui est ad principium scaenae. Quid mirum! Nam personas Parmenonis [1]) et Sannionis hoc loco vapulantis Terentius Diphilum secutus Menandri fabulae (Ter. prol. 6—11) addidit, id quod viri docti e Terentii comoediae statu et oeconomia cognoverunt. Nam quamquam oblivisci non licet (schol.

---

[1]) Cf. Kauerum (Dz. K.) Ad.² p. 11 sq. et 14 adn. 1 et 2. Non assentior Nencinio, qui Grauertum (l. l. 129 sqq.) et C. F. Hermannum secutus dicit (l. l. p. 136): 'nam leno nullus fuit apud Menandrum', recte enim affirmat J. Klasen l. l. p. 9 (Jhnio l. l. p. 27 se applicans) lenonis personam in Menandrea quoque fabula locum habuisse.

Ad. 88. 2) *qua pompa, qua vociferatione dilatetur accusatio de moribus Demeae nihil non in maius efferentis,*[1]) ita ut etiam verba (vs. 93) 'in orest omni populo' sint senis rei actae modum excedentis, tamen oeconomia fabulae Terentianae difficultatem quandam praebet: Demea enim rure in urbem adveniens iam narrat illud 'factum' (88—92), cuius ultima pars in insequente actu ante oculos spectatorum agitur.[2])

Quae vituperatio sive de fabula Terentiana valet sive non valet, certe non cadit in Menandri Adelphos, ubi Sannio leno 'mulcatus usque ad mortem', postquam ex pavore animum recepit, ad aedes Aeschini (Micionis) clamans accurrit, ut Bacchidem reposceret, quam Aeschinus amicis post cenam quandam (cf. vs. 1) adiuvantibus raptam et domi amici cuiusdam abditam post actum I in aedes suas transfert. Quae igitur adscribit scholiasta ad vs. 159: *vivaciter poeta priorem litem sustulit dicendo 'iterum', ut non eadem lis esset, de qua supra questus est Demea, sed instaurata noscatur* (Don. Ad. 159. 2), ea de scaena Menandrea dici possunt. Nam in ea lis instaurata inducitur, cum Aeschinus et Sannio[3]) de meretrice emenda agant, et (Don. Ad. 155. 2) 'dives per potentiam contumeliosus est', 'leno pauper contumax in perniciem suam'. Certe quidem leno ipse sibi obstat, neque enim transigitur de pecunia, sed adulescens iratus domum intrat dicens (v. 196) 'delibera hoc, dum ego redeo' (et redit v. 264). — Soliloquium lenonis et rixam inter eum et adulescentem, quae erant ap. Menandrum, omisit Terentius et in hunc locum

---

[1]) Cf. schol. 89. 2. 4 et 90. 2. 3. . . . *'alienas' dicit quia 'lenonis' si diceret, parva res erat; 'familiam' pro servis lenonis aut meretricibus dicit;* 'usque ad mortem' *magna invidia caedis mortis mentione, quae tamen nulli accidit; non 'abduxit', sed, 'eripuit'.* Haec postrema verba Donati Kauerus (Dz. K. l. l. 14 adn. 2) non recte intellexit. Adde quod et haec Demeae verba (93 sq.) 'in orest omni populo' speciem senis rei actae modum excedentis prae se ferre censenda sunt contra Kauerum l. l. p. 19 et Nencinium l. l. p. 138.

[2]) G. Regel l. l. p. 7; Fr. Kampe l. l. p. 7; J. Klasen l. l. p. 10sq.

[3]) Postquam hic magna voce de sua fortuna conquestus est (cf. soliloquium in primis versibus μέρους II, id quod quadrat ad praeceptum Leonis), qua turba commotus Aeschinus exit foribus.

scaenam Diphili actuosam[1]) et ingenio Romanorum magis accomodatam transposuit. Ergo inde a versu 190 vel 185, ubi de meretricis pretio agitur, vestigia Menandri iam detegi censeo; etenim verba iuvenis v. 193 'neque vendundam censeo, quae libera est' mea quidem sententia adeo non produnt Terentium fabulas contaminantem et obliviosum,[2]) ut propter verba poetae ipsius (vs. 8) censeam in Diphili fabula re vera meretricem, non liberam raptam esse; versum 193 igitur Menandri, non Diphili esse. Accedit etiam, quod id mendacium, quo terreatur et moveatur leno ut argentum accipiat,[3]) non obstat ἤθει adulescentis Menandrei.[4]) — Cum autem leno 'nolit vendere', Aeschinus domum intro it (v. 196) neque incaute agit, quamvis contumeliose contra lenonem se gerat, sed lenones, si modo pecunia reddatur, non metuendos esse non ignorat. Haec spes eum non fallit, nam de lenone ad scaenam proximam scholiasta scaenicus aestheticusque recte adscribere potest (Ad. 196. 1): *haec allocutio ad hoc inducta est, ut ex verbis lenonis appareat, quam facile mitis fieri possit et quidvis libenter accipere.* Hanc igitur scaenam (vss. 196—208) iam propter hunc interpretem aestheticum Menandream[5]) esse contendam; praeterea autem Donatus soliloquium Sannionis Menandreum esse his verbis probat Ad. 199. 1: *secundum illud Menandri* . . . Haec autem verba Kauerus (Dziatzko-Kauer Ad.[2] p. 13) falso interpretatus esse mihi videtur.[6]) Nam cum Donati commentum pessime con-

---

[1]) Ipse Fl. Nencini fatetur, si prologi verba respiciamus, partem e Diphilo translatam versibus 155—195 includi. Quis autem dubitat, quin prologus maxime sit respiciendus?

[2]) Ut contendere voluit Dziatzko mus. Rh. XXXI 374 sqq., qui non explicavit cur dixisset Terentius Ad. prol. 8 sq.: in Graeca adulescens est, qui lenoni eripit meretricem in prima fabula eqs.; cf. praeterea Nencinium l. l. p. 122 sq.

[3]) Quod consilium lenonis vi pecuniae mitificandi serpit per actum II totum Menandreum.

[4]) Recte contendit contra Dziatzkonem G. Regel l. l. p. 7.

[5]) De monosticho a Nencinio (l. l. 118—119) cum versu 198 collato cautione opus est: cf. Schlee ann. phil. 93 p. 140.

[6]) Kauerus ut propter verba ***secundum illud Menandri*** originem Menandream in dubium vocaret facile commotus est, quod soliloquium esse Diphili,

tractum, duabus manibus excerptum, tum conglutinatum esse constet, talia verba *secundum illud Menandri* non ita premenda sunt, ut inde Diphili esse scaenam colligas; immo disputationem lenonis Menandrum spirare putaverim, cum Donatus vel verba afferat, secundum quae Terentius locum suum instituerit.

Leno autem, qui ante fores de sua sorte et de quaestu occipiendo 'secum rationem deputat', Aeschino adulescenti molestus fit, Syrus igitur servus eius in scaena II. 2 [1]) mandatum habet, ut iterum agat de pretio, et (Don. Ad. 209. 1) *in hac scaena actus est exemplum continens vitae avarorum* [2]), *qui saepe in damnum ipsius avaritiae rationibus ruunt; simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quaedam vicissim et dolosa captio est.* cf. schol. 'Graec.' Andr. 432. 1). Et aliis locis huius scaenae habemus scholiastam illum 'Graecum': Don. Ad. 210. 3, de quo supra p. 24 disputavimus, et Don. Ad. 211. 2:

οἰκονομία: honorifice lenonem tractat, ut et placidum sibi reddat et ut faciat eum ad contemnendam pecuniam liberalem . . ., sed ex adverso scholiasta Romanus 220. 3 iudicat . . . *hominem ad lucrum excitans, non honestatem.*

Tum demum II. 3 Ctesipho, pro quo meretrix est rapta, prodit. Ad scaenam Menandream scholiasta, quem quidem rhetoricum nomines (Don. Ad. 254. 1), verba facit, sed item aestheticus noster adest: *παρασκευή* (Don. Ad. 263. 4) — Atque

---

non Menandri putavit, de qua re cum multis aliis viris doctis erravit, cf. Grauertum l. l. 129 sqq. (contra quem recte J. Klasen l. l. p. 6 sq.) et Teuffelium l. l. p. 357 sq. = mus. Rhen. VIII (1843) p. 45/46. Teuffelii sententiae adridens Fl. Nencini, quamquam 'illud fragmentum incommodum' a Menandro abiudicare non audet, tamen id 'facile removet' ita secum reputans (l. l. p. 120): 'non mirandum esse si qua in Menandrea raptionis narratione cum Diphileis consenserunt'!

[1]) Ad confirmandam sententiam de scaena II. 2 Diphilea nihil valet Diphili fragmentum p. 120 a Nencinio cum versu 216 collatum. Vereor enim, ne sit proverbium saepius usitatum ('ἀντινομίαν' enim appelat scholiasta 'ego spem pretio non emo' Ad. 219. 2), praeterea de similitudine fragmenti et versus Terentiani dubitaverim cf. Kauerum (Dziatzko-K.) l. l. p. 14 adn. 1.

[2]) Et scholiastas Graecos et scholiastam scaenicum Terenti saepe in universum de personis dramaticis per pluralem verba facere docet H. Steinmann l. l. 80, 81.

idem loquitur ad scaenam II. 4, ubi (Don. 265. 1) *mire Aeschinus servat* (cf. scaenam II. 1) *adversus lenonem*[1]) *superbiam, qua ostenditur tanto esse alienior animo ab amoribus meretricis, quanto audacior in lenonem.* Hoc quidem loco nobis est monendum Syrum, ut in scaena II. 2, ita in hac lenoni metum itineris in Cyprum faciendi inferre, unde cognosci potest, quam arte hae scaenae inter se coniunctae sint.[2]) Scaenam autem a Menandro ductam esse etiam ex Donati verbis elucet, qui aliquid a Terentio mutatum esse adnotat (275. 2): *Menander*[3]) *mori illum voluisse fingit, Terentius profugere.* Recte igitur secundum verba Terenti alter scholiasta (Romanus) Don. Ad. 275. 1 dicit *deest fugere*, alter verum ('Graecus') secundum verba Menandri[4]) Don. Ad. 274. 4 *deest perire, sed τῷ εὐφημισμῷ tacetur,* cf. 275. 2 *ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν.* (De scholiasta 'aesthetico' Don. 270. 3 iam supra p. 24 longiores fuimus).

Inde ab actu III. 1 Terentius fabulam Menandream paucis locis, quos a Kauero (Dz. K. Ad.[2] p. 16 sqq.) collectos habes, exceptis vertit. Quae cum ita sint, semper fere scholiastam aestheticum in scaenarum initiis habemus:

III. 1.[5]) Don. Ad. 288. 1 *haec scaena tragoediae ordinem servat, nam tragoedia in tria dividitur: exspectationem, gesta, exitum. hic quoque exspectatio est ⟨in mulierum colloquio⟩, in Getae nuntio gesta, in planctu Sostratae exitus* — 288. 2 *hinc demonstratur, qui*

---

[1]) Sannionis personam in hac scaena non esse Diphileam Fl. Nencini, qui totam Sannionis personam Diphilo tribuat, Grauertum secutus confitetur l. l. p. 120 adn. 2.

[2]) Praeterea conferas scholiastam illum Don. Ad. 252. 1, de quo p. 22 disseruimus.

[3]) Hoc scholium turbavit Lessingii sententiam, qui contra omnem rationem pro 'Menander' coniecit 'Diphilus'.

[4]) Quo loco denuo in officinam quasi Terenti inspicimus. Ita enim res se habebat: leno complures mulieres emptas, in quibus Bacchidem meretricem, 'portaturus' erat in Cyprum (cf. vss. 228—230). Terentius praefert Ctesiphonem meretricem secuturum, si rem sero frater audacioribus et fortioribus remediis utens rescivisset, quam mortem sibi adsciturum. Cf. etiam Fr. Kampe l. l. p. 10; G. Regel l. l. p. 8, contra quem Kauerus l. l. p. 16.

[5]) Cum Ter. Ad. 296 sq. cf. Men. frg. 3 Kock. Cum Ter. Ad. 453 cf. Men. frg. 5 K.

sit maternus affectus, quam grata in dominos servorum fides sit, eundemque laborem et dolorem esse ex falsis quem ex veris malis.[1]) Schol. et 1 et 2 adnotant, quae non tam ad scaenam III. 1 quam ad scaenas III. 1 + 2 Terenti attinent. Nam verba: *in Getae nuntio gesta* ad III. 2. 1—30, *in planctu Sostratae exitus* ad III. 2. 31 sqq. referenda sunt, nec aliter res est in schol. 288. 2. Legitne igitur Donatus textum Terentianum, in quo a vs. 299 nova scaena non erat coepta? Immo vero ad hunc quoque versum de 'scaenae' argumento verba fiunt et ea, quae Donati vestigia prae se ferant: *hic locus secundum artem comicam servum currentem exprimit* (cf. Don. Ph. 179. 1) *et nuntiantem mala. maxima itaque pars scaenae motoria est* . . . Cf. supra p. 51 adn. 1.

Quae cum ita sint, quaerimus, cur ad III. 1 verba legantur scholiastae, qui spectat ad III. 1 + 2? Facile autem res sic solvitur: In Menandri fabula a vs. 299 post illos undecim scaenae versus nova scaena orsa non erat, id quod saepius cognoscere licet, praesertim cum duarum personarum brevi dialogo tertia spectatoribus insinuetur (ut hic Getae vs. 292 sq.), haec tertia autem persona soliloquio uti consueverit, quod priores personae scaenae audiunt. Tali scaenarum ordine numeroque factum est, ut verba scholiastae Graeci ad Terenti scaenas duas,[2]) id est ad unam Menandream quadrent.

Deinde etiam commentatorem Graecum scaenicum ad proximas scaenas 'Adelphon' habemus, quae sunt Menandreae:

III. 3[3]) schol. 355. 1 (*οἰκονομία* 356. 2 et 441. 2 cf. supra p. 21; *διασυρτικῶς* Don. Ad. 427 cf. supra p. 36).

---

[1]) In Menandri fabula hoc loco novum actum vel *μέρος* secludendum esse non puto; ut scaena sit vacua, novus actus incipiat non necesse est, cum argumento fabulae propter spatium temporis non postuletur. Alia res est in scaena III. 3 Terenti, de qua infra agemus.

[2]) De Donato 351. 1 et quam arte coniuncta sit haec mutatio a Terentio inducta cum altera in scaena V. 8 (Don. Ad. 938. 1) cf. Fl. Nencini l. l. pag. 126 sqq. et C. Kauer (Dz. K. Ad.² p. 16).

[3]) Scaenam III. 3 novi actus Menandrei principium fuisse putaverim. Canthara vs. 353 'obstetricem arcessere' iubetur et in eodem actu, ut vulgo dividitur, iam parturit Pamphila 486 sqq.; anum autem cum obstetrice redisse nusquam in eodem actu Terentiano accipimus. Fieri autem potuit, ut Menander rectius *οἰκονομίαν* fabulae institueret, cum versu 354 *μέρους* finem faceret

III. 4 schol. 447. 1. 2 (cf. schol. Soph. Ai. 735).[1])
III. 5 schol. 511. 1. 2.
IV. 1 schol. 517. 1.[2])
IV. 2 schol. 540. 1 (cf. schol. lepidissimum Don. Ad. 560. 1).
IV. 3[3]) schol. 592. 1 (πρέπον 598. 1).

IV. 4 schol. 610a 1: *hoc loco* *χαρακτῆρα *amantis immodice iuvenis* (IV. 4. 610 — 634) *et senis facit indulgentis ac lepidissimi patris* (IV. 5. 635—712). Iterum haec (cf. supra p. 60) non pertinent ad scaenam Terenti (soliloquium Aeschini IV. 4), sed ad scaenam (Menandream) IV. 4 + 5. Ad scaenam autem IV. 5, quippe quae non sit nova Menandrea, scholiasta aestheticus non exstat, sed ille, qui de 'principio' scaenae dicit; cf. supra p. 10. Unde perspicimus in codicibus Terentianis quoque, quos legit Donatus, novam scaenam coepisse.

Graecum autem poetam cum scholio Graeco habemus etiam in his scaenis:

IV. 6 schol. 713. 1.[4])
IV. 7 schol. 719. 1. 2.
V. 1[5]) schol. 763. 1, ut supra III. 1 (+ 2), IV. 4 (+ 5), scholium

---

ita, ut inter 354 et 355 anum cum obstetrice domum redisse spectator coniceret. Sed novus scrupulus exsistit; cur enim Aeschinus vs. 610 demum revertitur, qui sicut anus, iam post actum 354 perfectum reverti potuit? Estne causa 'lenonis absolvendi' (Ter. Ad. 277) idonea, quae tamdiu Aeschinum possit amovere?

[1]) Praeter alios (Don. Ad. 456. 2) optimum videas scholiastam fabularum novae comoediae non inscium Ad. 487. 1 . . . *et nota puellarum, quae in comoediis honestae sunt et ex amore ducuntur, aut nullam in scaena esse aut rarissimam vocem.* Hoc praeceptum probatur fragmentis Menandri nuper repertis, qua de re cum van Leeuwenum tum Robertum errasse constat.

[2]) Nec rebus nec temporibus fabulae postulatur, ut novus actus incipiat.

[3]) De vss. 605 sq. cf. Nencinium l. l. p. 128. 139.

[4]) Ab hac scaena Menandrea μέρος novum principium habuisse censeo, cuius finis erat in versu 786. Neque ulla difficultas de temporum spatio propter vs. 719 sqq. exoritur, si versu 712 actum conclusimus; neque assentior Nencinio, qui nonnulla in fabulae Graecae oeconomia a Terentio mutata esse arbitratur l. l. p. 140 sqq.

[5]) In fabula Menandrea et Terentiana inde exordium novi actus non recte ducitur.

pertinet ad scaenam unam Menandream, apud Terentium in duas divisam: V. 1 + 2.

V. 3 schol. 787. 1 [1]) (cf. 789. 1 ἀναλογία).

V. 4 schol. 855. 1.[2])

V. 5 schol. 882. 1 pertinet ad V. 5 + 6.

V. 6 deest igitur schol. scaenicus.

V. 7 schol. 899. 1.

Ad postremam scaenam V. 8 (et 9, nam in codd. nova non incipit), cur scholiasta scaenicus non legeretur, iam supra (p. 52) disceptavimus neque de hac scaena ulla verba nobis essent facienda, nisi unus locus commentarii Donatiani maximas praeberet difficultates: Don. 938. 1 *apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur, ergo Terentius* εὑρετικῶς.

Equidem cum Lessingio (Dramat. act. Hamb. cap. 97) aliisque [3]) censeo Terentium fabulae Menandreae Micionem non modo nuptiis resistentem [4]) εὑρετικῶς affinxisse, sed etiam 'de nuptiis

---

[1]) Cum vs. 804 cf. Men. frg. 9 K.

[2]) Iam quod scholiastam scaenicum ad insequentes scaenas legimus, satis est ad refellendam opinionem Fielitzii, qui (l. l. p. 677) scaenas V. 4 usque ad finem fabulae apud Menandrum defuisse censet. De hac quaestione disseruerunt: J. Klasen l. l. p. 17 sqq. (quem non in omnibus rebus sequimur), Fl. Nencini l. l. p. 142 sqq., Fr. Kampe l. l. p. 12. — Fragmentum Men. 10 K. respondet versui Ter. Ad. 866.

[3]) Similiter Benfeius (Terentius, Stuttgart 1837 p. 931), Meinekius Phil. et Men. p. 3, Kauerus l. l. p. 16.

[4]) 'Gravari' idem esse atque 'adversari' statuerunt: Grauertus l. l. p. 146; Königshoffius 'De ratione quam Terentius in fabulis Graecis Latine convertendis secutus est' Colon. 1843 p. 17; J. Klasen l. l. p. 16; Henr. Sieß, 'Über die Komödien des Terenz' Wiener Stud. XXIX p. 101 alii (Zimmermann, Teuffel, Spengel). Medias inter sententias cessit G. Ihne l. l. p. 31, et post eum Fr. Kampe l. l. p. 10, qui 'non gravatur' hoc loco esse 'non tantopere neque serio neque graviter obstat' putavit; quam opinionem suam facit J. Koehm 'Quaestiones Plautinae Terentianaeque' diss. Gissae 1897 p. 54. Is etiam hoc explicare conatus est (p. 49), quod Aeschinus ille pavens atque timens vs. 940 contra ἦθος personae et oeconomiam fabulae totius consilii tamquam auctor est. Quam difficultatem cum Dziatzko frustra interpretatione amovere studuerit, Koehmius nodum ita expedire studet, ut verba inter personas dividat: vs. 940 (Aechinus). Fac! (Demea) Promisi ego illis. (Micio) Promisti autem? De te largitor puer! — Multos autem locos attulit, quibus nobis persuaderet hac voce contumeliosa 'puero' Micionem

gravatum'[1]) i. e. nuptiis oneratum. Neque enim Donatus εὕρημα ad paucos versus adnotat — multa enim essent εὑρήματα, quae in fabulis adnotanda essent — sed quasi ad scaenam longiorem (cf. Don. Andr. 481. 1 et Hec. 415. 1).

Tenemus mea quidem sententia eundem Menandrum eundemque scholiastam Graecum quem in Andria fabula. Agedum iam inquiramus in fabulam tertiam Terentii, duabus scilicet fabulis contaminatam, Eunuchum.

Eunuchus.

Primum nobis de Eunucho fabula deliberantibus est quaerendum, quid sibi velint verba Terenti Eun. prol. 25 sqq.:

exclamat . . .
Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam,
parasiti personam inde ablatam et militis.
si id est peccatum, peccatum inprudentiast
poetae, non qui furtum facere studuerit.
id ita esse uos iam iudicare poteritis.
Colax Menandrist: in east parasitus colax
et miles gloriósus: eas se *hic* nón negat
personas transtulisse in Eunuchum suam
ex Graéca.

Dicit igitur Terentius se parasitum et militem ex altera fabula transtulisse. At neque in prologo poeta neque in commento Donatus has duas personas in Eunucho Menandrea non fuisse auctores sunt, sed hoc tantum sentimus Terentium magna similitudine, quae inter utriusque fabulae personas illas intercedebat, commotum esse, ut exornaret et locupletaret ἦθος

---

contra fratrem senem 'translate usum' esse, sed nullo haec sententia fulcitur. Etenim secundum vitae consuetudinem fit, ut parentes liberos iamdudum ad ephebiam adultos nominent 'pueros', id quod nova comoedia, vitae quasi speculum, exhibet. Hebescit igitur summa illa virorum doctorum ingenii acies, offensiones enim nobis non tollendae, sed tolerandae sunt: unus Terentius accusandus est, qui scaena Menandrea mutata male rem egisse videtur.

[1]) „Beim Menander, inquit Lessingius, fällt man dem Alten mit der Heirat nicht beschwerlich."

duarum Eunuchi fabulae personarum. Nec minus hoc etiam Donatus censet (Eun. 26): *non versus obicit* (i. e. Luscio Lanuvino), *sed personam esse translatam. quid stultius aut calumniosius dici potest?* Cuius sententiae parum memores se praebuerunt viri docti, cum Eunuchi personas militis et parasiti esse totas fabulae Colacis censerent.[1]) Demonstrari autem poterit tam arte has personas cum Eunucho fabula iunctas esse, ut, si Terentium eas totas addidisse putares, eius ingenium pluris aestimares. Sed talibus iudiciis et argumentis omissis quaestionem Terentianam cum Donatiana coniungere pergamus.

Cum scaena I. 1 [2]) sit Menandrea (cf. Don. 46. 4 = frg. Men. 186 K.; Don. 46. 7; frg. Men. 187 K. = Ter. Eun. 76 sqq.) scholiasta Graecus (Don. 46. 1) occurrit.

Ad I. 2 autem adnotationem de tota scaena, cum ad primum versum nihil adpositum sit, excidisse iam Schopenus recte statuit. Sed variis locis scholiasta noster aestheticus verba facit: Don. Eun. 91. 1 (cf. supra p. 25). 98. 3 *παρὰ προσδοκίαν*.

---

[1]) Ita iudicaverunt W. H. Grauert l. l. p. 148 sqq., K. Braun l. l. p. 23 sq., Fr. Kampe (Die Lustspiele des Terenz und ihre gr. Or. p. 10 sqq.); Ph. Fabia P. Terenti Afri Eunuchus. Paris 1895 p. 38. — Braunius Ihnio, qui ambas personas militis et parasiti etiam in Eunucho exstitisse p. 18 censet (item G. Regel l. l. p. 11), concedendum esse negat; quin etiam cum Donati illud Terentius' Menandro opponi putaret (sed cf. supra p. 49 adn. 4), ad tantum errorem progressus est, ut alias quoque praeter militem et parasitum personas a Terentio assumptas esse statueret. Contra Braunium Nencinius contendit militis parasitique tantum personas e Menandri Colace translatas esse. Nencinium vero impugnat Cartault 'Sur l'Eunuque de Térence' Paris 1895 p. 54 sqq., qui Terentium pro adulescente quoquam posuisse personam militis censet. Sed fragmentis Colacis repertis (The Oxyrhynchus Papyri n. 409 vol. III p. 17 sq. Londinii 1903 et in Menandreis ed. A. Körte Lipsiae 1910 p. 175—188) novae viae apertae sunt, quas ingressus Fr. Leo, Menanders Kolax („Nachr. d. K. Gesellsch. d. Wiss. z. Göttingen" phil. hist. Kl. 1903 p. 688 sqq.) haec dicit (pag. 690): „Also hat Terenz aus dem Kolax nur, wie er selber sagt, personas parasiti et militis entnommen und diese dem Eunuchos eingefügt; das konnte er nur, wenn der Eunuchos wenigstens eine der Person des Bias entsprechende Rolle enthielt". — In universum ad W. J. Oudegeest 'De Eunuchi Terentianae exemplis Graecis disputatio'. diss. Amst. Breda 1906 relegavisse sat est, cum a viro docto nihil novi afferatur.

[2]) De exordio fabulae et Persii sat. V. 161 sqq. cf. Fl. Nencini l. l. p. 80 sq., Ph. Fabia l. l. p. 51 sqq., J. J. Hartman l. l. p. 3 sq.

103. 2 παρασκευή. 123. 1 ἀστείως (cf. supra p. 35). 132. 1. Quibus addere liceat optimum illum scaenicum scholiastam, qui, postquam vs. 196 Phaedria abiit, ad novam scaenam Menandream, soliloquium Thaidis, adnotat vs. 197: *recte Thais nunc partem argumenti exsequitur tacitam apud Phaedriam propter praesentiam servi, quem poeta vult ita nescire, ut audeat ad vitiandam virginem subornare Chaeream.*[1])

Postquam Thais domum introiit, Phaedria cum Parmenone revertitur; in scaena II. 1 (schol. scaen. 207) *iam amatorium multiloquium et vaniloquium continet ista actio, nam et repetit, quod iam dictum est et id facit ⟨ * * * ⟩ magis et odiose nimis.*

In versu 224 abit Phaedria (*tantum autem aberit quantum temporis opus est ad vitiandam virginem* schol. 224. 4), et appropinquat parasitus cum puella, quam maxime miratur Parmeno ut 'facie honestam' (230); ad quae verba scholiasta recte adnotat (Eun. 230. 1) illam artem '*οἰκονομίαν*' (cf. supra p. 19 sqq.): *οἰκονομία, qua ostenditur amaturus Chaerea, si quidem hanc Parmeno ipse miratur.* Hoc autem scholium adscribitur ad illum locum, quo 'commendatur' Gnatho, persona scaenae insequentis. Haec igitur persona puellam secum ducens etiam apud Menandrum fuisse mihi videtur, sed non illa, quae in scaena II. 2 verba facit. Nam ego quoque illud a Donato vere dictum esse puto, quod scribit (Don. Eun. 228): *haec apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est 'parasiti personam et militis', sed de Colace translata sunt.* Sed verbumne 'haec'

---

[1]) Videas melius hunc scholiastam contextum fabulae perspexisse quam Nencinium, qui hanc rem miratus 'quod Parmeno servus, qui Pamphilam civem esse probe nosset quippe qui Phaedriae et meretricis colloquio interfuisset, erili filio vitiandae virginis auctor fuerit . . .' erravit l. l. p. 83 sq., servum enim re vera Pamphilam civem esse nescire Donatus identidem docet ad vs. 110. 2. Itemque Ph. Fabia l. l. p. 11 sqq. 'quelques *légers* défauts' in fabula Terentiana detegere studuit nec tamen cum Nencinio omnia haec vitia contaminatione duarum fabularum esse orta concludendum est, cum etiam unius fabulae Menandreae exigua vitia esse possint. Nam quis est, qui luce clarius nobis probet in Menandri fabulis talia vitia non fuisse, cum ne Lessingius quidem poeta, ut viri docti demonstraverunt, in fabula, quae inscribitur 'Emilia Galotti' quamque quasi exemplar proposuit, semper πρὸς τὸ πιθανόν argumentatus sit?

significet omnem scaenam II. 2, in quaestionem vocare liceat. Nam si tollas personam Gnathonis, quo modo puella, donum militis, ad meretricem ducatur quamquam variis cogitatis auspicari possis, tamen de Parmenone, si eum etiam in Eunucho Menandrea locum non habuisse iudices, aut nodum nectas inextricabilem aut novam fabulam statuas, non Eunuchum Menandream restituas. Ergo Gnathonem una cum Parmenone[1]) in hac Eunuchi Menandreae scaena fuisse coniciam. Cui opinioni patrocinari videtur, quod ille scholiasta aestheticus nobis non paucis locis occurrit, cf. schol. 274, de quo supra (p. 35) longiores fuimus, ut Graecum esse cognosceremus. Versus 233—265 igitur solos ex Colacis fabula fluxisse atque inde a versu 265 Terentium Menandri Eunuchum secutum esse Fabiae etiam vestigiis insistens[2]) contendo. In Eunucho Menandrea autem post breve soliloquium parasiti, pro quo longiorem narrationem e Colace haustam Terentius posuit, inde a versu 270 principium fuisse dialogi inter Gnathonem et Parmenonem habiti ideo censeo, quod adscribit scholiasta aestheticus scaenicusque (271. 2): *haec tota locutio parasiticae elegantiae et simul εἰρω niae plena est* ....

Gnatho, postquam Pamphilam induxit, redit ad Thrasonem (cf. vs. 391); Parmeno, qui in scaena restat, commendat Chaeream (cf. schol. 291. 1) properantem[3]). II. 3. Terentius sine dubio Menandri scaenam suam facit. Legimus igitur scholiastam Menandreum: 292. 1; praeterea: *πρὸς τὸ πιθανόν* Eun. 296. 2, 360. 1; *τῷ ἀστεϊσμῷ* 342. 2. De schol. 356. 3 et 370. 1 cf. supra p. 22; *οἰκονομία* 359. 2.

Cum poeta *omnes quinque actus velut unum fieri* (Don. Eun. praef. I. 5) velit, nunc aliquo spatio temporis, quo vestem eunuchi Chaerea induat, opus est. Quod quidem scaena III. 1 efficitur, in qua Thraso et Gnatho revertuntur, ut Thaidem in cenam

---

[1]) Menandrum non semel militem cum parasito induxisse elucet ex fabulis, quae inscribuntur *Δὶς ἐξαπατῶν* et *Σικυώνιος*.

[2]) Ph. Fabia (l. l.) totas personas militis et parasiti esse Colacis fabulae ratus dialogum, qui inde a versu 270 sequitur, apud Menandrum esse servi cuiusdam et Parmenonis putat.

[3]) Ad Don. Eun. 289: ***non potest Terentius τρόφιμον dicere*** cf. Andr. 602. 3, quo ex loco manavit Ph. 39. 1; cf. Men. *Ἐπιτρ.* 160.

vocent; Thais enim propter virginem dehonestandam est amovenda. Harum autem personarum (schol. Eun. 391. 1) *sermo sic prodit, ut post scaenam incohatus esse noscatur. continet autem assentationem parasiticam et stultitiam gloriosi militis.*

Haec verba sunt scholiastae aesthetici; idem *οἰκονομίαν* fabulae observat Eun. 434 (cf. supra p. 20) et 440. 2: *hic magna οἰκονομία est, qua Terentius praeparat, quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque et Gnathonem per duas partes serpat fabulae.* Prius iurgium iam ante principium fabulae exstitit; nam miles, cum Thaidi alterum esse amatorem cognovisset, iurgium excitaverat (cf. Ter. Eun. 480) et recusaverat ne virginem dono daret. Postquam alter autem amator non admissus discessit (*ob tollendum iurgium militis*: schol. 629) et virgo dono data est, controversia sedatur, sed nova e consilio Gnathonis orta post scaenam III. 2 incipit. Recte igitur Donatus dixit: *iurgium per duas partes serpit fabulae,* id quod non dixisset, si de 'Colace' et 'Eunucho' egisset, ut W. H. Grauert (l. l. p. 170) et Ph. Fabia (l. l. p. 44) falso contendunt. Ergo, cum scholiasta scaenicus et aestheticus de hac scaena disserat, eius partem ex Eunucho Menandrea ductam esse, quam versus 391—397 et 434—453 amplecti suspicor. Atque etiam Parmeno [1]) me quidem arbitro dialogo militis parasitique ineunte venit in scaenam Menandream, item Thais post dialogum. Qua prodeunte scaena III. 2 principium habet. Ut autem taceam, quam necessaria haec scaena [2]) cum persona militis ad *οἰκονομίαν* fabulae Menandreae sit, habemus etiam scholiastam scaenicum Don. 454. 1 et illum aestheticum 'Graecum': Don. 455 (cf. supra p. 24); Don. 495. 1 *προπαρασκευή*; 501. *οἰκονομία* (cf. supra p. 20).

Perinde atque ad III. 2 ad principium etiam scaenae III. 3 scholium scaenicum legimus Don. 507. 1: *haec persona apud Menandrum adulescentis rustici est.* Quod scholiastae iudicium de

---

[1]) Modum excedit Ihnius, qui (l. l. p. 16—20) Terentium alias quoque personas atque in prologo nominatas, ut hoc loco Parmenonis, e Colace assumpsisse opinatur (contra eum K. Braun l. l. p. 25; Fl. Nencini l. l. p. 79 sqq.).

[2]) Eunuchi scilicet scaena hic et illic additamentis ex Colacis fabula exornata est (vs. 497 exemplo utar), cf. Fr. Leo Men. Kol. p. 691.

Chremete non solum Menandreo, sed etiam Terentiano valet; cf. schol. 531. 1: *nam rusticum esse statim magis apparebit, ubi dixerit 'rus eo'* (cf. schol. 532).

Sed quo modo hoc scholion Donatianum sit ortum, facile expediri potest. Scholiasta Romanus enim, cum ad primum versum scaenae Menandreae scholio Graeco quodam de 'rustico' Chremete lecto sibi nondum persuasisset etiam in Terentiana fabula rem sic se habere, scholio illi 'Menandreo' caute 'apud Menandrum' addidit.[1])

Paulisper autem alio quoque huius scaenae scholio insistere liceat: Don. 537. 1 *vide non esse otiosum, quod omnia praetemptata sunt potius quam res importuna fieret, ut ad militis domum Chremes deduceretur. neque enim conveniebat personae* B a c c h i *aliquid* a m u s u m *aut infacetum aut ἄκαιρον* [2]). Num scholiasta Romanus quicquam personae Bacchi convenire scribit? I m m o i n v e n i m u s G r a e c u m, q u i i n h o n o r e m B a c c h i n o v a m c o m o e d i a m a g i c e n s e t, contra Euanthius vel Donatus Apollini *Νομίῳ* vel *Ἀγυιαίῳ* 'comoediam esse dicatam' dicunt (cf. Euanth. De fab. I. 3; Don. Andr. 726. 2; Eun. 85. 1).

A vs. 539 (scaena III. 4) novum *μέρος* comoediae incipit. Docet autem nos Leo Menandrum saepe scaenas sic instituere, ut sit (verbis ipsis Leonis: d. Monolog im Drama p. 65 utor): 'Monolog von a, der b herankommen sieht, Monolog von b mit Zwischenreden von a; b erblickt a und redet ihn an'. Talis scaenarum ordinis Leo exemplum affert versus 225—270 sqq. et 289—304 sqq. Iam igitur intellegimus scaenam III. 4 + III. 5 more Menandreo institutam esse. Sed de ea inspiciamus Donatum 539. 1: *in hoc proloquio insinuatio personae eius est, cui narraturus est Chaerea, quae a se post scaenam gesta sunt. fit autem hoc populi causa, ut spectator oriculis accipiat, quod subicere oculis poeta non potuit* (cf. schol. Soph. El. 1404). Audivimus scholiastam, Graecum scilicet, ut semper hoc loco. Praeter hunc legimus

---

[1]) Iniuria igitur Nencinius Chremetem Menandreum (Eunuchi) paullo aliter a Terentio depictum esse (l. l. 85 sqq.) censet. Contra Nencinium disputat Cartault l. l. p. 50. 51.

[2]) Vocabulum 'ἄκαιρον' hoc tantum loco exstat, cf. schol. Soph. Ai. 1205.

aliud quoddam brevius scholium, excerptum alterum[1]) (539. 3): *bene inventa persona est, cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur* et additur *ut apud Menandrum.* Quae verba 'ut apud Menandrum' additamenta alicuius scholiastae esse pro certo habeo, praesertim cum scholium 539. 1 Menandreum eadem fere quae schol. 3 exhibeat, nihil autem de hac persona Antiphonis a Terentio assumpta afferat.[2]) Neque scholiasta scaenicus ad III. 5 (549. 1) quicquam a Terentio esse mutatum dicit: *in hac scaena verba gestum vultumque indicant exeuntis, cui obvia persona obicitur, sub cuius occasione spectatoribus gesta narrabuntur.*

Atque ea verba, quae in Terenti comoedia legimus (vss. 553—556)

sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi,
qui me sequatur quoquo eam, rogitando optundat, enicet,
quid gestiam aut quid laetus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
uestitum hunc nanctus, mihi quid quaeram, sanus sim anne insaniam!

interpretatur scholiasta 549. 2 Romanus: *duo metuit: ne quis ex his obvius comprehensor occurrat et ne quis sui persecutor exsistat.* Quae quidem sane recte interpretatur, nam hic Chaerea Terentianus secundum vss. 549. 550

Numquis hic est? nemost. numquis hinc me sequitur? nemo homost.
iamne rumpere hoc licet mi gaudium? pro Iuppiter!

gaudium per soliloquium rumpere cupit. Contra scholiastam autem Romanum commentator ad Ter. Eun. 554 adscribit: *id cupit gaudens, quod aliis tristibus molestum est.* Hic scholiasta

---

[1]) Nam ex duorum excerptorum corporibus confluxisse Donati commentum, quod nobis in manibus est, cum viris doctis Sabbadinio Rabbowio Weßnero al. mihi persuasi neque hanc sententiam labefacere potuit Karstenus Mnem. XXXV; cf. J. Endt, Berl. Phil. Woch. 1909 col. 96.

[2]) Neque de hac re me longiorem esse opus est, cum optime nos Ihnius non pauca scholia initio quidem esse proba et bonae notae, addito autem futili interpretamento inquinata esse doceat l. l. p. 23 sqq. (cf. Teuffelium l. l. p. 355—357), quam sententiam meo iudicio non refellere potuit Braunius l. l. p. 27. 28.

a Chaerea desiderari personam, cui narret gaudium, censet necnon Antipho opinatur idem (Ter. 557):

Adibo atque ab eo gratiam hanc, quam uideo uelle, inibo.

Quae ad verba Donatus *εἰρωνείαν* non adnotat, in quibus ne nos quidem quicquam eius modi invenire possumus, immo statuimus: verba scholiastae (554. 1) non quadrare ad ea, quae versibus 549—556 Chaerea locutus est. Quam rem ut expediamus, revertamur ad eam scaenam, quam Terentius Andriae fabulae Menandreae addidit:[1]) And. vss. 957 sqq.:

Me aliquis fors putet
non putare hoc verum, at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror
quod voluptates eorum propriae sunt, nam mi immortalitas
parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit,
sed quem ego mihi potissimum exoptem, haec quoi nunc narrem dari?

Quae persona hoc loco loquitur *id cupit gaudens quod aliis tristibus molestum est.* Quid autem Donatus de hoc loco Andr. 959. 3 dicit? *Hanc,* inquit, *sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. et hoc est quod dicitur 'contaminari non decere fabulas'.*[2]) Quo de scholio G. Jhne,[3]) G. Regel l. l. p. 5, Ph. Fabia l. l. p. 53 adn. 2 rectum non viderunt. Etenim si hos versus Andriae 957—962 fabulae Eunuchi pro versibus 550—556 adiunxerimus, nullo modo in verbis Antiphonis vs. 557: 'adibo atque gratiam hanc, quam video velle, inibo' offendemus neque in verbis scholiastae 'Graeci' Eun. 554. 1: '*Id cupit gaudens* . . .' — Iam ex verborum similitudine elucet locum Andriae vel rectius fontem huius loci Graecum illo Eunuchi quoque fabulae loco ante oculos fuisse Terentio. Hoc enim cognoscere licebit, si versus Andriae fabulae cum Eunuchi contuleris hos:

---

[1]) Cf. Kockium de his versibus: Men. frg. 190.

[2]) 'sententiam totam' et 'contaminari' plus significat quam versum unum.

[3]) l. l. p. 6 adn. 3: 'talis' est illa sententia, ut non semel in Eunucho sed sexcenties alias pronuntiatam esse a Menandro arbitrer.'

Andr. 959 sqq.

ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror
quod voluptates eorum propriae sunt: nam mi immortalitas
partast, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.

∾ Ter. Eun. 551. 552

nunc est profecto, interfici quom perpeti me possum,
ne hoc gaudium contaminet uita aegritudine aliqua.

Andr. 963

... nemost quem mallem omnium

∾ Ter. Eun. 561

nemo hominumst, quem ego nunc magis uidere cuperem quam te.

Denique si persona altera alterius sermonem in fabulis comoediae novae captat, saepe fit, ut eadem repetat verba quae audivit, cf. Ter. Andr. 178. 179 fecit — faciet, Andr. 263 incertumst — incertumst etc.. Idem hoc Eunuchi loco observare licet. 'Iamne rumpere hoc licet mi gaudium?' inquit Chaerea Eun. 550, et in Andriae fabulae vs. 963 repetit Charinus 'quid illud gaudist?' Haec enim videntur esse verba cuiusdam versus, qui a Terentio in Andria omissus exstitit eo Eunuchi Graecae loco, unde Andriae scaena nata est.

Neque mirum quod Terentius hic locum Menandri mutavit. Mutandus enim fuit, nisi duos locos in fabulis suis Ad. et Eun. eosdem repetere voluit, postquam in prima sua fabula iam scaenam Eunuchi expilavit. Itaque si hoc probavimus: Andriae scaenam V. 5 Terentianam ex hac scaena Eun. III. 5 Menandrea fluxisse item hoc alterum: personam Antiphonis esse Menandream comprobatur; nam in verbis Ter. Eun. 553 re vera *apparatus ad intentionem futurae narrationis dicitur* (schol. Eun. 553).

Scaenam igitur III. 5 totam Menandream esse mihi exploratum est (ad vs. Ter. 585 cf. Men. Samia 244—246)[1]) neque longa demonstratione opus est ex versibus 610 sqq. elucere, quam necessaria persona Antiphonis[2]) ad *οἰκονομίαν* fabulae sit. (cf.

---

[1]) De scholio 588. 1 deum se in hominem convertisse — *φιλοσοφικῶς Terentius demonstravit* ... cf. supra p. 49 adn. 4; Fr. Kampe l. l. p. 12. 13.

[2]) Perperam iudicat K. Braun l. l. p. 29 de schol. Eun. 607. 2 *bene memor est personae quam induxit poeta per hanc interrogationem*, qui scribit 'verbo

schol. 609. 2 *οἰκονομία.* 607. 3. *παροιμιῶδες. ἀλλὰ περὶ τοῦ χοιριδίου;*)
Hac autem scaena III. 5 actus concluditur, tum a soliloquio Doriae et Phaedriae novus actus exorditur. Sunt scaenae Menandreae neque desunt scholiastae 'Graeci:'

IV. 1 cf. schol. 615. 1 *ea persona quaesita est, quae terribilem credat militem, ut eo magis in experiundo vanus ac ridiculus esse possit.* (Scholiasta iam spectat ad scaenam IV. 7.)

IV. 2 schol. 'Graec.' 629. 1 *hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phaedria, qui discesserat abfuturus biduum ob tollendum iurgium*[1]) (cf. schol. 440. 2) *militis, sed importune* ('opportune'? cf. schol. 2) *redit.*

Et cum omnes scaenae proximae ex Menandro repetendae sint, scholiasta optimus ille scaenicus semper invenitur:

IV. 3 schol. 643. 1.

IV. 4 schol. 668. 1 cf. schol. 719. 1 *προοικονομία* — Don. 689. 1 *γαλῇ* — *γαλεώτης* cf. supra p. 28.

IV. 5 schol. 727. 1.[2])

IV. 6 schol 739. 1.

IV. 7[3]) scaenae partem maiorem esse fabulae Menandreae Eunuchi censeo.[4]) Neque enim scholiastam tantum Menandreum legimus, sed etiam talem, qui vocabulis Graeci scholiastae pro suis utitur: Eun. 771. 1 *hic r u r s u s* (primum in scaena III. 1 cf. schol. 391. 1) *inepti vanitas militis demonstratur ad amicam tam-*

---

iuducendi eum sensum esse apparet, ut sit de suo addere'! Quid multa? Verbum 'inducendi' vertit illud '*εἰσάγειν*' scholiastarum Graecorum (cf. supra schol. Soph. El. vs. 871. 1384. — Soph. Ai. 1316. Eur. Hipp. 953. Med. 823. 922 etc.). An tu putas Terentium 'inducere' id est de suo addere his locis: Don. Andr. 236. 1, Ph. 58, Ad. 713. 1, 763. 1, 855. 1 al.?

[1]) Cf. schol. Eun. 440. 2.

[2]) Cum Don. Eun. 736. 3 recte confert H. Steinmann (l. l. p. 56) schol. Hipp. 1102 etc.

[3]) Cf. Henr. Sieß, 'Über die Komödien des Terenz'. Wiener Studien 29 p. 82 sqq.; Fr. Leo Men. Kol. p. 690.

[4]) Cum totam personam militis ex Colace transsumptam esse G. Jhne censeat, in scaena IV. 7 difficultatem esse positam ei confitendum est. Quam ex hac opinione difficultatem de persona militis ortam summo ingenii acumine amovere studuit (l. l. p. 19, 20), nec tamen ei contigit cf. K. Braun l. l. p. 26. Vs. 783. 1 Terentium pro nomine Alexandri Pyrrhum posuisse recte animadvertunt G. Regel l. l. p. 14; Ph. Fabia l. l. p. 57.

quam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concito cursu, undanti chlamyde . . . (χλαμύς cf. Men. *Πεϱ.* 164, *Σαμ.* 314).

Item actus V Terentianus est Menandreus. Itaque eadem est ratio scholiastae scaenici atque in prioribus scaenis Menandreis:

V. 1 schol. 817. 1.

V. 2 schol. 840. 1.

V. 3 schol. 910. 1 (cf. 909).

V. 4 ad Parmenonis soliloquium nihil adnotatur a scholiasta Graeco.[1])

Aliam autem fuisse scaenarum divisionem in Menandri Eunucho et a vs. 941 novam scaenam coepisse perspicuum erit scholiastae scaenici haec verba legentibus: 941. 1 *miro artificio poetae et ab initio non placatur Pythias nec redit in gratiam Chaereae et insuper nunc a Parmenone irritatur magis, ut per eam Parmeno terreatur, per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur senex, per senem nuptiae confirmentur* et Don. Eun. 943. 2 *hoc loco simulata perturbatione sui Parmenonem terret Pythias* cf. Don. Eun. 965.

V. 5 schol. 971. 2. 3 (1 (senex) *apud Menandrum 'Simon' dicitur*). Praeter scholiastam autem 997, de quo supra pag. 22 egimus, conferas quaeso Don. 1001[2]) *manifestius hoc Menander explicat* . . .

V. 6 schol. 1002. 1 cf. supra pag. 22.

V. 7 schol. 1025. 1 (cf. 3). Schol. 4 Euanthii vestigia prae se fert.

V. 8 schol. 1031. 1. 2 et 1049. Manca paulatim fiunt ex more omnium scholiastarum adnotata, at exstat scholiasta scaenicus. Scaenae autem caput Menandream Eunuchum nulli dubitationi obnoxium esse mihi contra argumenta virorum doctorum exitum fabulae ex Colace una fluxisse docentium videtur. Nihilominus

---

[1]) Quod scholiasta Graecus ad Parmenonis soliloquium non verba facit, quodammodo sententiae a J. J. Hartman (l. l. pag. 71) prolatae patrocinari mihi videtur, qui versus 926—940 abiudicat fabulae Eunuchi.

[2]) De hoc scholio recte iudicaverunt G. Regel l. l. p. 5 adn. 1; Fr. Kampe l. l. p. 14; G. Ihne l. l. p. 18 (contra Grauertum); imprimis Ph. Fabia l. l. p. 54. 55.

scaenae Eunuchi Terentianae varia ex Colace esse addita non negaverim.

Dissertationi nostrae quamvis non ad exitum perductae[1] finem imponimus. Auctoribus Graecis autem palmam reddidisse nobis sat sit. Nam cum Terenti tum Donati optima quaeque esse Menandri eiusque interpretis demonstravisse nobis videmur.

---

[1]) Cf. supra p. 31 adn. 4. — Maxime doleo, quod Ph. E. Legrandii liber, qui 'Daos. Tableau de la comédie Grecque pendant la periode dite nouvelle' (Lyon 1910) inscribitur, tum demum in manus meas pervenit, cum iam postremas plagulas correxi. Quem librum omnibus doctrinae praesidiis sustentatum et munitum quamquam summa quadam delectatione perlegi, sententias meas quod mutem non habeo.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Erdmannus Struck a. d. IV Id. Juli anni 1886 in oppido Megalopolitano cui nomen est Neubrandenburg patre Henrico matre Carolina e gente Bull, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae-lutheranae. Inde ab anno 1895 frequentavi gymnasium urbis patriae, quod tum G. Sauerweini praeceptoris maxime mihi venerandi auspiciis florebat. Maturitatis testimonio instructus autumno anni 1904 Monachium me contuli, ut studiis philologicis et germanicis me darem, ubi me docuerunt viri doctissimi Cornelius, Crusius, Drerup, Furtwängler, v. d. Leyen, I. de Müller, Muncker, Pöhlmann. — Deinde autumno anni 1905 Berolinum migravi et Universitatis Fridericae Guilelmae civium numero per tria semestria adscriptus sum. Scholis interfui quas habuerunt vv. dd. Diels, Hermann, Helm, Lehmann-Haupt, Ed. Meyer, Roethe, Vahlen, de Wilamowitz-Möllendorff. Tum almam matrem Rostochiensem petii, ut studiis philologicis germanicis philosophicis totum me imbuerem. Hic audivi vv. dd. Erhardt, Geffcken, Golther, Kolbe, Lüders, Plasberg, Sommer, Watzinger.

In seminarium historicum me receperunt Ed. Meyer et Kolbe; ad exercitationes germanicas me admiserunt Muncker, Roethe, Golther; seminarii philosophici sodalibus me benigne per quattuor semestria adscripsit Erhardt. Geffckenio et Plasbergio debeo, quod per tris senos menses seminarii philologorum sodalis ordinarius fui.

Quibus praeceptoribus gratiam habeo quam maximam omnibus, inprimis Geffckenio et Plasbergio semper habebo.
